LIBRI RARI
FIAMMETTA SOAVE
ROMA

S.

11:

11

n° 50

DE CRUCE VATICANA
EX DONO
IUSTINI AUGUSTI
IN PARASCEVE MAIORIS HEBDOMADAE
PUBLICAE VENERATIONI EXHIBERI SOLITA

COMMENTARIUS

CUI ACCEDIT RITUS SALUTATIONIS CRUCIS
IN ECCLESIA ANTIOCHENA SYRORUM SERVATUS
Nunc primum ſyriace, & latine editus, adnotationibuſque inluſtratus

AUCTORE

STEPHANO BORGIA
SACRAE CONGREGATIONIS DE PROPAGANDA FIDE
A SECRETIS



SPLENDIDIOR · CVNCTIS · ASTRIS

ROMAE MDCCLXXIX

EX TYPOGRAPHIA EIUSDEM SACRAE CONGREGATIONIS
PRAESIDUM FACULTATE

D. SISTO
ABATE BENIGNI

FONDAZIONE MARCO BESSO
BIBLIOTECA

SANCTISSIMO AC BEATISSIMO PATRI

PIO SEXTO

PONTIFICI MAXIMO

STEPHANUS BORGIA

A SECRETIS SACRAE CONGREGATIONIS DE PROPAGANDA FIDE

FELICITATEM

E*TSI perdifficile eſt , cum quis ſuam maximo Principi obſervantiam lucubratione aliqua teſtatam velit, ea ſemper in medium proferre, quae tanta maieſtate , atque amplitudine digna prorſus videantur:*

non aeque tamen arduum opus experietur, ſi is ſuorum ſtudiorum monumentum Principis, cui obfertur, indoli atque instituto quoquo modo conſentaneum exhibere ſatis habeat. Hoc ipſum mihi ſcilicet, BEATISSIME PATER, uſuveniſſe ſentiebam, dum elaboratum a me nuper Commentarium, in publicam lucem emittendum, Auguſti Nominis tui ſplendore, ac magnitudine inluſtrare cogitavi, & percupivi. Cum nimirum argumentum, quod ornandum ſuſceperam, de re eſſet, quae religionem attingeret, quam quae maxime, inſigne ſcilicet illud Staurothecium Iustini Imp. donum, quod habet Vaticana Baſilica, cumque, ſeclusis parumper ceteris tuis praeeminentiis, ac dotibus, in te non alium, quam ſucceſſorem Piſcatoris, *ac* diſcipulum Crucis, *mihi obſervandum propoſuiſſem, quemadmodum a plaeclariſſimo Eccleſiae Doctore Hieronymo Sanctum Pontificem Damaſum conſideratum legimus; facile etiam animadverti & ipſum Crucis ſchema, quod typo commiſeram, & Commentarium, quod in idem conſcripſeram, ita tibi hoc ſaltem nomine convenire, ut nemo me vel temeritatis, vel audaciae arceſſeret, quod munus ita exiguum tantae Maiestati obferre non dubitaſſem. Tum quid inſuper gratius a me tibi nunc praeberi poſſe cenſerem, quam oculis tuis ſubiectum, ac a me leviter licet inluſtratum monumentum illud, quod, dum in Vaticanae Baſilicae Canonicorum Collegio*

gio adnumerabaris, & feria VI. *maioris hebdomadae adoraveras, & feria* II. *Paſchatis Reſurrectionis inter cetera ſacra cimelia, quibus ditatur ſplendidiſſima illa Baſilica, frequenti populo venerandum pro tui muneris vice oſtenderas, eoque benedictum dimiſeras? Non enim me latet,* BEATISSIME PATER, *quantum pro tua in Apoſtolorum Principem Petrum devotione, & cultu tibi placeas in iis, quae ad eius templum pertinent, & in eo adſervantur; quod & expertus ſum, cum ad ſanctiſſimos pedes tuos obtuli aliud opuſculum meum* de Vaticana Confeſſione *inſcriptum. Hinc ſane profectum novimus, ut omnium quidem votis expetitum, tentatum autem numquam, Sacrarium ipſum, quod Vaticano templo adhaereat, & in quo tum eius Miniſtri excipiantur, tum ſacra ſupellex, lipſana, vaſa, ceteraque cimelia adſerventur, excitandum regio plane animo, ſumptuque curaveris: quo ſane conſilio etiam pretioſo Staurothecio noſtro bene proſpectum gratulari contingit. Ac nec tua animi magnitudo, nec pietatis ſoliditas, nec muneris providentia, nec dignitatis amplitudo ſinunt, ut haec, quae externa ſunt, ſolummodo conſecteris. Latent fortaſſe quamplurimos, quae pro religionis incremento, & Dominicae Crucis cultu in remotiſſimis regionibus perficienda committis, immo praeſentiſſimo auxilio urges, ac peragis. Verumtamen ea non me latent, quem pro muneris mei ratione*

tua-

tuarum voluntatum, & mandatorum habeas administrum, & interpretem. Patere ergo, BEATISSIME PATER, ut ceteris etiam palam faciam, quae CPoli, Vilnae in Lituania, in Congenſi regno, & in Sinarum imperio perpetraveris, ut Cruci ſubditos augeres, & confirmares, atque animas Chriſto lucrifaceres. Non aliam ſane ob cauſſam uberem a te largitionem tulit Apoſtolicae Miſſionis, quae a Fratribus Minoribus CPoli adminiſtratur, inſtitutum. Huc ſpectat Alumnorum numerus in Pontificio Vilnenſi Collegio auctus, ac novo cenſu munitus. Tum eo etiam redeunt, quae pro Congenſis Miſſionis reparatione, & amplificatione, quae pro alterius Sinenſis bono, & ſecuritate Apoſtolicae auctoritatis robore decernenda curaſti. Quid dicam de ſuaviſſimis, ac vere paternis litteris, quibus Vicariorum Apoſtolicorum Siami, Tonquini, Sut-Chuen, & Cocincinae egregiam in ſubeundis pro animarum ſalute laboribus alacritatem confirmaſti, & generale eorum Collegium in Virampatna prope Pondicherium conſtitutum in tuam clientelam, Pontificiumque patrocinium amantiſſime ſuſcepiſti? Videt porro unuſquiſque ea me dumtaxat conſectari, quae & muneris mei ſint, & meam, qua ad te acceſſi, animi confidentiam quodammodo excuſent. Immenſum ſane pelagum ingreſſus viderer, ex quo exitum aegre mihi quaererem, ſi cetera, quae peragis in reipublicae bonum, quaeque in omnium

oculis

oculis ſunt, praedicare eſſet animus. Quare ea consulto praetermittam, aliis me diſſertioribus celebranda relinquens. Hoc unum modo poſtulare liceat, BEATISSIME PATER, ut leve hoc opuſculum meum laeto excipias animo, tum a voluntate, quae maxima eſt, non a munere, quod ſentio, quam ſit exiguum, obſervantiam, & reverentiam in te meam unice metiaris. Id ſi mihi pro ſingulari, ac prope divina tua benignitate indulſeris, uberrimum qualiſcumque laboris mei fructum me percepiſſe arbitrabor. Interim ad beatiſſimorum pedum oſculum provolutus, Deum precor, ut SANCTITATEM TUAM poſt diuturni morbi incommodum divinitus Chriſtianae reipublicae redditam, Catholicae Eccleſiae felicitati, atque incremento ſoſpitem, ac florentem diutiſſime ſervet.

IM-

IMPRIMATUR

Si videbitur Reverendiſſimo Patri Sacri Palatii Apoſtolici Magiſtro.

F. A. Marcucci Epiſc. Montiſalti Viceſg.

IMPRIMATUR

Fr. Pius Thomas Schiara Ordinis Praedicatorum Sacri Palatii Apoſtolici Magiſter.

DE CRU-



ANTICA FACIES

Schema Crucis argente…
Gemmis aff… di…
Ex Iustini Imp. …o Ro…
Et in Sacrario Basilicæ Vatica…
Quod nunc primum …re in…
a Stephano Borgia Sac. C… de …
Anno MDCCLXX…

Palmi Romani …dulus co…

Palmus



cis argenteae inauratae
affabre distinctae
mp. anno Romam missae
silicae Vaticanae adservatae
num aere insculptum editur
c. Cong. de Propag. Fide a Secretis
MDCCLXXVIIII

POSTICA FACIES

mani modulus comparatus

Romanus

DE CRUCE VATICANA
COMMENTARIUS

PROOEMIUM.

EX quo inter ſacra reliquiarum cimelia, quibus ditatur Vaticana Baſilica, adſervari animadverti vetuſtiſſimam Crucem, pretioſiſſima inſtructam particula illius vitalis ligni, a quo

Pretium pependit ſaeculi (*a*),

ſtatim illius inluſtrandae deſiderium me cepit, ut, quantum in me eſſet, eidem cultus, & reverentia etiam apud exteros accreſceret. Illud vero maxime exarſit, cum deprehendere mihi contigit inſigne huiuſmodi monumentum a nemine hactenus typorum ope editum fuiſſe. Tanta ſiquidem ſacrorum monumentorum, quae Romae ſunt, copia ſuppetit, ut etiam poſt tot Litteratorum labores, & ſtudia, quae ad ea inluſtranda contulerunt, multa relinquantur, tamquam ad ſpicilegium, quae idem officium poſtulent. Inter haec ſane adnumerari meretur, immo primatum tenet Crux haec Vaticana, quae nobis ſorte obvenit, noſtroſque in ſe obtutus, & obſervationes vindicavit. Dominicae Crucis argumentum haud ſane intactum eſt, quod nempe uberem ſegetem ad Romanae Eccleſiae ritus, & antiquitates exornandas praebuerit Auguſtino Fivizanio (*b*), Angelo Roccae Epiſcopo Tagaſtenſi (*c*), Iacobo Boſio (*d*), Iohan. Bapti-

(*a*) Venant. Hon. Fortunatus in Hymno *de Paſſione Chriſti*.

(*b*) *De ritu Crucis praeferendae Romano Pontifici*. *Romae* 1592.

(*c*) *De particula ex pretioſo, & vivifico ligno ſacratiſſimae Crucis Salvatoris Ieſu Chriſti deſumpta, ſacris imaginibus, & elogiis eodem ligno inciſis inſignita, & in Apoſtolico ſacrario aſſervata Commentarius &c. Romae* 1609.

(*d*) *La trionfante, e glorioſa Croce*, *Roma* 1610.

ſtae Caſalio (*a*), Iohanni Ciampinio (*b*), Philippo Bonarrotio (*c*), Dominico Georgio (*d*), Thomae M. Mamachio (*e*), ceteriſque eruditione praeſtantibus viris, ut praeteream nunc Paullum Aringium, alioſque, qui *Romam ſubterraneam* commentariis exornarunt. Verumtamen nemo ex hiſce Scriptoribus Vaticanae huius Crucis memoriam iniecit, &, quod inſuper mirandum venit, altum de ea ſilentium quin etiam eſt in celebri, quam Florentiae annis CIƆIƆCCXLIX., & CIƆIƆCCLII. duobus voluminibus concinnavit vir cl. Antonius Franciſcus Gorius, nobis dum vixit coniunctiſſimus, de Crucis materia collectanea, cui titulum fecit: *Crux Dominica commentariis, & monumentis antiquis illuſtrata*.

Qui de praeclaro hoc Crucis cimelio primus verba fecerit, ut ſileam nunc de Maphaeo Vegio ſaeculi XV. Scriptore, de quo dicam in *cap.*VI., non alius fuiſſe videtur, quemadmodum mihi innotuit, quam Pompeius Ugonius (*f*) ſaeculi XVI. Scriptor minime contemnendus; quem dein ſaeculo proximo ſubſequuti ſunt Iohannes Severanius (*g*), qui in eo tamen erravit, ut Iuſtiniani nomen pro altero Iuſtini ingeſſerit, & Franciſcus Maria Turrigius (*h*) vir de Vaticanis Cryptis, aliiſque ſacris monumentis praeclare meritus. Vertente autem ſaeculo hoc ipſum memorarunt Raphael Sindones, & Antonius Martinettius, uterque Vaticanae Baſilicae Beneficiarius, qui nempe huius Baſilicae deſcriptionem vernacula lingua elaboratam Romae anno MDCCL. ediderunt (*i*); tum duo alii adhuc vita, & eruditionis, doctrinaeque laude florentes Paullus Maria Paciaudius Clericus Regularis (*k*), & Philippus Laurentius Dionyſius

(*a*) *De veteribus Chriſtianorum ritibus* cap.II. *Romae* 1645.

(*b*) Inveſtigat. Hiſtor. *de Cruce Stationali*. *Romae* 1694.

(*c*) *Oſſervazioni ſopra alcuni frammenti di vaſi antichi di vetro*. *Firenze* 1716.

(*d*) *De Liturgia Romani Pontificis*. Tom.I. lib.I. *Romae* 1731.

(*e*) *Origin.*, *&* *antiquit. Eccleſiaſt.* Tom. III. *Romae* 1751.

(*f*) *Iſtoria delle Stazioni di Roma, che ſi celebrano la Quareſima* pag.103. *Roma* 1588.

(*g*) *Memorie Sacre delle ſette Chieſe di Roma* pag.203. *Roma* 1630.

(*h*) *Le ſacre Grotte Vaticane* Par.2. pag.254. e ſegg. *Roma* 1639.

(*i*) Lib. I. pag. 46. & ſeqq.

(*k*) *De cultu S. Iohannis Baptiſtae antiquitates Chriſtianae*. Diſſert.VI. pag.263. *Romae* 1755.

nyſius laudatae ſuperius Baſilicae Beneficiarius (*a*), uterque nobis veteri amicitia ſpectatiſſimus. Sed ex hiſce Scriptoribus alii vix monumentum leviter attigerunt, alii non omnia vera, & ingenua de eo pronunciarunt, ut inferius oſtendemus, ac nemo tandem ectypum exhibuit, cum unus Paciaudius epigraphem cum eo litterarum ordine, qui Crucem effingat, ſed ſine forma, quae prototypum referat, adduxerit. Recte vero pronunciavit vir doctiſſimus, cum in urbe omnium vetuſtiſſimam hanc Crucem affirmavit, quae nimirum ad VI. Chriſti ſaeculum citra dubium omne pertinet, & nondum ab ullo publici iuris factam inſuper aſſeruit.

Quapropter praeſtantiſſimum huiuſmodi monumentum quaſi ſuo iure poſtulare videbatur, ut aliquis tandem exſurgeret, qui illud a tenebris educeret, & inluſtrationibus exornaret. Nos, qui ſcilicet hoc onus in nos ſuſcipiendum duximus, id ſpondere maxime poſſumus, nihil a nobis praetermiſſum ſive diligentiae, ſive accurationis, quominus numeris omnibus abſolutus eiuſdem ectypus aere inſculptus exhiberetur; atque utinam tantumdem de hac noſtra inluſtratione ſpondere liceret. Impares vero tanto argumento nos haud pudet confiteri; ſed dum pro viribus conamur muneris, quod aggredimur, magnitudini reſpondere, id nos facturos auguramur, ut alii deinceps eruditione, & doctrina inſtructiores ea ſuppleant, quae noſtram ſedulitatem effugerint, quaeque nobis temporis anguſtia, qua undique urgemur inter cetera onera, quae ſuſtinemus, inviderit. Accedit & brevitatis ſtudium, quod etiam nobis cordi fuit, & cuius gratia forte nonnulla conſulto a nobis praetermittentur, ne iis, qui ſapiunt, aut qui tempore deficiunt, vel intemperantiores, vel moleſtiores fuiſſe videamur. Interim vero, ne ſine auſpicio ſit tanti laboris initium, & ne audax accedere videar ad venerabile hoc Chriſtianae religionis vexillum, *proſternor* (ut antiquiſſimi Sacramentarii apud Amalarium Diaconum (*b*) verba uſurpem) *corpore ante Crucem*, *mente ante*

 Domi-

(*a*) *Sacrar. Vaticanae Baſilicae Cryptarum monumenta*. In Praef. p.xv. *Romae* 1773.

(*b*) Lib.I. cap.14. *de Eccl. Off.*

Dominum : veneror Crucem, per quam redemptus ſum, ſed illum deprecor, qui redemit.

CAPUT I.

Vaticanae Crucis icon deſcribitur.

INſignis huius Crucis longitudo eſt unius palmi, & unciarum IX. cum dimidio, latitudo palmi item unius, & unciarum IV. cum dimidio. Forma, quae ad quatuor angulos, ſive fines amplior eſt, quam in partibus ad medium vergentibus, non ſolum ſaeculo VI. convenit, ad quod pertinet, ſed etiam ſpectanda in nonnullis Crucibus tempore anterioribus occurrit. Neque infrequens inſuper habetur in Orientalium, & Occidentalium Imperatorum numiſmatibus poſt Conſtantini Magni tempora, illius nempe Auguſti, qui, Crucis vexillo devicto Maxentio tyranno, primus ipſam a ſuppliciorum cenſu ſubductam ignominiae nota carere iuſſit (*a*), ſuoque exemplo docuit, quo eſſet honore ſalutiferum hoc ſignum proſequendum. Patet ſiquidem ex Euſebio, ipſum primum mandaſſe efformari huiuſmodi ſignum auro, & gemmis diſtinctum ad eius ſpeciem, quae illi in caelo apparuerat luce praefulgens, & ſupra ſolem adſtans, adiuncta epigraphe illa celeberrima: ΕΝ . ΤΟΥΤΩ . ΝΙΚΑ . *In hoc vince* (*b*). Hinc factum etiam novimus, ut Crucis ſignum, quod

(*a*) Sozomenus lib. I. cap.8.

(*b*) Haec habet Euſebius de Magno Conſtantino (*lib.I. c.28. Vit.*), qui cum Maxentii tyrannidi extinguendae animum adieciſſet, Dei opem imploravit, ut illi adiutricem manum porrigeret: *Horis diei meridianis, ſole in occaſum vergente, Crucis tropaeum in caelo ex luce conflatum, ſoli ſuperpoſitum ipſis oculis ſe vidiſſe affirmavit cum huiuſmodi inſcriptione* τέτῳ νίκα, *hac vince*; tum ſubdit, iterum ipſi dormienti Chriſtum adparuiſſe cum ſigno illo, quod in caelo oſtenſum fuerat, ac praecepiſſe, ut militari ſigno, Labaro nempe Romano, ad ſimilitudinem eius compoſito, eo tamquam ſalutari praeſidio in praeliis uteretur (*cap.29.*), quod & fecit, conſtructo ſtatim ſigno ex auro, pretioſiſque lapidibus (*cap. 30. & 31.*). Celebre hoc factum Scriptores Conſtantini temporibus proximi, Philoſtorgius (*lib.I. cap.6.*), Socrates (*lib.I. cap.2.*), Sozomenus

quod olim a primis uſque fidelibus fronti obducebatur *ad omnem progreſſum , atque promotum , ad omnem aditum , & exitum , ad veſtitum , & calceatum , ad lavacra , ad menſas , ad lumina , ad cubilia , ad ſedilia* (a) ; quodque inſuper fere

nus (*lib.I. cap.*3.) , qui addit duos Angelos tum a Conſtantino viſos , dicentes ἐν τούτῳ νίκα , adeo perſpicue confirmant , ut non modo audiendi non ſint , qui vel cum Iacobo Oiſelio (*Theſ. Numiſm. antiquor. pag.* 463.) illud referunt ad pias veterum fraudes , vel cum Iacobo Tollio (in not. ad lib. *de Mort. Perſecutor.* , cuius auctor memorat aliam nocturnam admonitionem de ſigno Dei notando etiam in ſcutis a Conſtantino habitam e regione Pontis Milvii pridie quam Maxentii exercitum adgrederetur) pro ſtratagemmate habent , uti illud fuit Philippi Macedonis apud Iuſtinum (*lib.*8. *cap.*2.), tum aliud Antiochi Soteris apud Lucianum (*tom.*1. *Opp. pag.*499.) , ſed improbanda etiam videatur Iohannis Alberti Fabricii audax ſententia , qui in Exercitatione critica *de Cruce a Conſtantino viſa* tom.6. Bibl. Gr. praemiſſa , naturale fuiſſe phaenomenon opinatur . Ceterum ex victoriis a Conſtantino an. cccxii. praeſidio ſigni Dominicae paſſionis feliciter relatis nova penes aliquos Scriptores epocha emerſit a veneratione Crucis petita . Graecus auctor anonymus vitae S. Iſaacii Monachi (ap. Bolland. ad diem xxx. Maii) ita illam exorditur : *Poſtquam ſanctiſſima , & veneranda I. C. Domini , ac Salvatoris noſtri , Crux adorari coepit , & falſorum Deorum cultus deſiit , nulla non orbis regio Sanctorum Apoſtolorum doctrinis , ſic quaſi pulcherrimae cuiuſdam novaeque lucis radiis fuit illuſtrata . Hinc etiam factum eſt , ut veneratione hominum digniſſimus Imp. Conſtantinus , cum univerſi orbis imperium divinitus ſibi oblatum accepiſſet &c.* In confeſſo enim erat Chriſtianis omnibus , Conſtantini imperium Crucis adparitioni , imo & ſolemni eiuſdem Crucis venerationi deberi , atque ob hanc cauſſam relatus biographus Crucis *adorationem* cum imperio Conſtantini iunxit, & ex utroque conflavit aeram , unde Iſaaci vitae initium feliciter auſpicaretur .

(a) Si Tertulliani verba (*de corona milit. cap.*3.) recte perpendantur , id omnino revinci patebit Iunium Calvinianum hominem , qui hoc ipſum locum inluſtrans temere contendit , nonniſi inter ethnicos , Chriſtianos , diſtinctionis gratia , Crucis ſignum adhibuiſſe . Sed & ipſa Tertulliani verba , & vetera monumenta , quae ſignum hoc praeſeferunt , non hoc modo inficiantur , ſed inſuper ſuadent , Chriſtianos in ea fuiſſe ſententia , ut crederent , huiuſmodi ſignum, ſive benedictionis geſtu efformatum , ſive quacumque in re inſcriptum , utpote quod a Ieſu Chriſti meritis vim ſuam repeteret, magna polluiſſe efficacia , quae eorum operibus , & neceſſitatibus accederet , & opitularetur . Tum ceteri Calvinianae ſectae cultores hoc Tertulliani loco refutantur ; cum

fere nuda, ac ſimplici forma in Chriſtianorum ſepulcralibus titulis exprimebatur; dein, ſublata a Conſtantino ipſius ſigni ignominia, maximis honoribus ab omnibus gentibus, ac populis ſalutatum, exoſculatum, ad aras palam evectum (*a*), in

cum nempe ante IV. Chriſti ſaeculum (quod ipſi negant) hoc ſignum invaluiſſe appareat, praeterquamquod id ipſum plenius etiam cetera a Iohanne Frontone in una ex eius epiſtolis ſelectis Leodii Eburonum editis an. MDCLXX., in qua *de auguſtiſſimo ſigno Crucis* agit, tot Eccleſiae Patrum adducta teſtimonia oſtendant. Qua ratione Chriſtiani hoc ſignum fronti obducerent, ex Evodio Uzalenſe diſcimus, qui apud S. Auguſtinum (*epiſt.* 158. *n.* 2.) ita ait: *Signare ſe coepit in fronte, ita ut ſic deſcenderet ad os, quod ſibi cupiebat ſignare*. Pectus etiam hoc ſigno munibant, ut ex Prudentio (*Cath. Hymn.* 6. *v.* 129.) colligitur, praeſertim dum cubitum irent:

Fac, quum vocante ſomno
Caſtum petis cubile,
Frontem, locumque cordis
Crucis figura ſignes.

Quare id etiam apud nos obtinet, dum auſpicatur Completorii recitatio, quae nimirum ante quietem antiquitus obiri conſueverat. Parem vetuſtatem praefert illud ipſum Crucis ſignum, quod modo a Latinis inchoatur aperta manu ad frontem admota, hinc ad umbilicum, dein ad ſiniſtrum, ac tandem ad dexterum humerum delata, & a Graecis, qui manu haud exerta, ſed coniunctis ſimul pollice, indice, & medio, & ceteris inclinatis digitis, frontem primum, hinc umbilicum, tum dexterum, ac poſtremo ſiniſtrum humerum ſignant. In S. Theodoti Actis a Ruinartio relatis *ſect.* 21. haec de ſancto Martyre traduntur: *totumque corpus ſuum ſigno Crucis muniens in ſtadium proceſſit animo imperterrito*. Neque hinc arguatur illud ſignum hodierno noſtro extenſius fuiſſe, cum pro *corpore*, quod heic innuitur, truncus accipiatur, a capite nempe ad ventrem, ſecluſis artubus. De ſupplicationis, quae ſignum hoc comitatur, vetuſtate, (dicere enim ſimul ſolemus *in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti*) rem Eccleſiaſticae Liturgiae ſtudioſis iudicandam relinquimus. Ceterum ſigno Crucis in frontibus Turcarum atramento inſcripto, eos a peſte liberatos ex Nicephoro Calliſto (*Hiſtor. lib.* XVIII. *cap.* 20.) refert vir doctrina inſignis Iohannes Molanus (*de Hiſtor. SS. imag., & pictur. lib.* II. *cap.* 7.): *Sanctae Crucis ſignum atramento in frontibus Turcarum pictum, eos (quantumvis infideles) a peſtis contagio praeſervavit*.

(*a*) Quod Cruces in altaribus antiquitus collocarentur adeo probata res eſt, ut nihil ſupra. Egregius porro eſt in hanc rem Sozomeni locus (*lib.* 3. *cap.* 3. *Hiſt. Eccl.*) ubi narrat Probiano cuidam, qui ex ethnico Chriſtianus factus Crucis tamen virtutem non admittebat, oblatum per viſionem fuiſſe *Crucis ſignum, ſeu effigiem, quae in ſacro eius Eccleſiae altari collocata erat*. Illud tamen notandum, Crucem in

in thronis ornatiſſimis repoſitum , in publicis ſupplicationibus praelatum , in fronte Regum , atque in globis , & ſceptris, quae ſunt eorum inſignia, infixum, ac tandem inter gemmas , palmas , flores , lilia, ſidera (*a*) fuerit collocatum . Nil mirum

in ſummo altarium faſtigio , non in gradibus , ut hodie fit , quarto , & deinde ſequutis ſaeculis , collocari conſueviſſe, quae idcirco Cruces *pendentes*, & *pendulae* penes Anaſtaſium Bibliothecarium , aliosque dictae ſunt. Praecipuus locus his fuit in ſummitate ciborii , & in regno , ſeu corona aurea , vel argentea , aut ex alio metallo , quae altari imminebat . Gregorius Turonenſis (*in lib.* 2. *de miraculis S. Iuliani cap.* 43.) *Pendebat* , inquit , *ſuper ipſum altare Crux holocryſa eleganti opere facta*. Memoratus Anaſtaſius narrat de Leone III. (*Tom.I. n. 66.*) , quod in Oratorio S. Crucis fecit *regnum panoclyſtum ex auro puriſſimo cum Cruce in medio* , *pendens ſuper ipſum altare.* Coronae, ſeu regna *panoclyſta*, vel *ſpanoclyſta* nuncupata, quia erant ſuperius clauſa , & non vacua , ut aliae coronae . Idem Anaſtaſius *n.67*. memorat calicem *panoclyſtum* , quia cum operculo pyxidis inſtar . Sero tandem obtinuit , ut altaria gradus haberent , gradus candelabra , & alia ornamenta , quae ut opinatur Ciampinius , in uſu fuere circa ſaeculum decimum .

(*a*) In fornice arcuato Eccleſiae S. Apollinaris Ravennae , muſivis operibus ornatae ab anno circiter IƆLXVII. , ut ſcribit Ciampinius (*vet. monum. Tom.II. cap.* 11.) cernitur Crux huiuſmodi , in area ſtellata expreſſa . Nos huius Commentarii frontem hoc veteris monumenti ectypo inſigniendam curavimus , quem nimirum petivimus ex eo , quem eruditiſſimus Paciaudius inſeruit eleganti Diatribae *de veteri Chriſti Crucifixi ſigno , & antiquis Crucibus , quae Ravennae ſunt* ; quam quidem videre licet in *Tom I. Crucis Dominicae* , Gorianae editionis . Crux gemmata eſt, & in medio I. C. protomen habet, & ad lateralia brachia inſcripta ſunt Graeca elementa Α , & Ω , adeo in antiquis monumentis celebrata , & praeſertim cum Chriſti monogrammate quam ſaepiſſime coniuncta . In *libello Orationum Gothico-Hiſpano* , quem publici iuris fecit cl. Ioſephus Blanchinius Romani Oratorii Presbyter , prima oratio cantanda VIII. idus Ianuarias , in die apparitionis Domini , ad veſperum , ita concinne horum elementorum ſignificationem exponit : Α , *&* Ω *initium* , *& finis* ; *Deus* , *& homo* ; *infinitus* , *& praefinitus &c. miſerere nobis &c.* Graeca vero epigraphes ΙΧΘΥΣ ſupra Crucem , ſi ut iacet perlegatur, *Piſcis* latine ſonat , qui alius eſt Chriſti typus , qui paſſim in veterum monumentis occurrit vel prope anchoram , vel Crucem , vel cum corona in ore , vel tandem in aqua , ut in baptiſteriis . De eo conſulatur Aringius (*Rom. ſubterr. To.II. lib.V. cap.*20. , *& lib.VI. cap.*1.), tum erudita Diſſertatio cl. Anſelmi Coſtadonii Camaldulenſis Antiſtitis , qui intactum reliquit , quod in horum

mirum itaque, ſi Imperatores ipſos ad ſe Crux ſupplices, & in genua provolutos adduxerit, quod Prudentius (*a*) ita apte expreſſit:

. . . . *Iam purpura ſupplex*
Sternitur Aeneadae rectoris ad atria Chriſti,
Vexillumque Crucis ſummus dominator adorat.

Sed ut ad Vaticanam Crucem redeamus, illud inſuper advertimus, eam formam, quam noſtra praeſefert, haberi in poſtica parte aurei numiſmatis Anicii Olybrii, qui Occidentale Imperium tenuit anno CCCCLXXII., addito lemmate: SALVS MVNDI, & altero plane obvio: COMOB (*b*). Quod vero & huius, & noſtrae Crucis forma non aequali utrimque longitudine conſtet, aliquos forſan in dubium adducere poſſet, quominus noſtram praeſertim Graeci operis eſſe cenſerent ob receptam vulgo opinionem, Graecorum Crucem aequali in altum, & latum longitudine confici, Latinorum vero inaequaliter in utramque partem protendi, ut in oblongam formam procedat. At hoc, quod diximus, diſcrimen, ſi vetera monumenta utriuſque gentis attendantur, haud in Crucis conformatione occurrit, cum ad arbitrium modo hac, modo illa ratione a Graecis, & Latinis Crucis forma exprimeretur (*c*).

Novum

rum piſcium forma adnotandum fuerat, ex ea nempe ſpecie eoſdem fere ſemper eſſe, qui Romae *Barbi* appellantur. Sed laudata epigraphes aliud etiam myſterium continebat, quandoquidem ex arcani diſciplina id inter Chriſtianos convenerat, ut quaelibet littera quinque vocum initium eſſet, quae ſimul collectae haec verba reddunt, quae & latine adducimus:

ΙΗΣΟΥΣ	IESVS
ΧΡΙΣΤΟΣ	CHRISTVS
ΘΕΟΥ	DEI
ΥΙΟΣ	FILIVS
ΣΩΤΗΡ	SALVATOR

Sub Cruce vero altera cubat inſcriptio SALVS MVNDI, qua nulla concinnior, quandoquidem in Crucis ligno *Salus mundi pependit*.

(*a*) In Apotheoſi.

(*b*) Apud Anſelmum Bandurium Tom. II. *Numiſm. Impp. RR. a Traiano Decio ad Palaeologos* p. 595. edit. Lutet. Pariſ. 1718.

(*c*) Nihil frequentius in ore vulgi, qui de Vaticano templo verba facit, Graecanicae Crucis in Latinam permutatione, quam Carolus Madernius veteri Bonarotii deſignationi celebre illud additamentum faciens, ex quo prodiit elegantiſſimum atrium, ſuperiori ſaecu-

Novum non eſt, poſtquam Eccleſia donis fidelium di-teſcere, & pompam aliquam cum modeſtia coniunctam re-

b ligio

ſaeculo peregit. Graece enim Crucis conformationem in aequilatera ſtructura ſitam putant, Latinae vero in ea, quae longitudine latitudinem vincat. Unde illud Graecae, Latinaeque Crucis diſcrimen petant, nos ſane latet. Si conſulantur, qui de Graecorum ſacris aedificiis ſcripſerunt, & qui inter rei Architectonicae inluſtratores, & magiſtros apud Latinos, ſive Italos praecipue commendantur, nihil certe occurret, cui huiuſmodi diſcrimen niti poſſit. Graeca ipſa monumenta quidem, & Latina quinetiam nihil, quod rem abſolute, certoque definiat, nobis obiiciunt. Quadrata enim, & oblonga Crux apud utramque gentem indiſcriminatim uſurpata facile invenietur, ſi quis rem attente perquirat. Non id vero facile dixerim de Crucibus duplicibus, ſive de iis, quae duplici, vel triplici tranſverſali parte conſtant, quae vulgo *Patriarchales*, & *Hieroſolymitanae* appellantur, cum immo Graecas eſſe, & apud Graecos receptas omnino pateat. Vetuſtiſſima nos quidem huiuſmodi Cruce potimur, quae eſt ex aere bracteato, ferrea intus ſubſtantia praedito, & unius circiter palmi longitudine, cuius typum ad calcem huius operis exhibebimus. *Cur ita Crux* (ait Du-Cangius Diſſert. *de inſcr. aevi numiſm.* num. 23.) *cum duplici tranſverſario ſtipite, maiore altero, altero minore effingeretur, non omnino conſtat*. In Leonis Iſaurici Byzantini Imp. numiſmatibus primum haec Crucis forma apparuit, ideſt poſt initium ſaeculi VIII., qua de re legere praeſtabit, quae eruditiſſime diſſeruit vir cl. Anſelmus Coſtadonius Camaldulenſis Abbas in ſuis obſervationibus *in Graecam pervetuſtam iconem ligni SS. Crucis in monaſterio S. Michaelis de Muriano adſervatam* cap. x. apud Gorium Tom. I. *de Cruce Dominica*. Quare pro recepta vulgari opinione, quam ſuperius innuimus, mirum videri non debet, Gorium ipſum (To. III. *Theſ. vet. Diptych.* p. 225.) eburneum Diptychum Vaticanum Graeco artificio elaboratum inluſtrantem dubitationem ſuam in inſculptam Crucem, quod non aequilatera, inſtituiſſe, hincque poſteriori aevo a Latino artifice ſuperinductam conieciſſe. *Quin & Crucis forma* (ſunt Gorii verba) *Latinis magis, quam Graecis familiarior, me in ſuſpicionem adducit peregrinum hoc monumentum ad nos ea aetate delatum, & in alicuius monaſterii poteſtatem redactum, novum id parergon ad arcam vacuam occupandam excudiſſe.* Sane Graecos, & Latinos Crucis formam templis applicuiſſe, certum eſt, ſed quae vere, exacteque forma huiuſmodi deſignari poſſit, non aeque certum eſt. Immo ex monumentis, quae adhuc ſuperſunt, id evinci poſſe videtur, Crucem ipſam, quae Latina vulgo audit, etiam in Graecorum templorum conſtructione receptam fuiſſe, quae oblongam formam minime refugeret. His adde in Conſtitutionibus Apoſtolicis (lib. II. c. 53.) ubi templorum forma praeſcribitur, oblongam perſpicue praecipi.

Adeſt

ligio induere coepit, etiam ſacra inſtrumenta, veſtes, ac ceteras ſupellectiles gemmis ornari conſueviſſe. Gemmae enim *albae*, *praſinae*, *hyacinthinae*, *alabandinae* (*a*), & *ſmaragdi* praeſertim a collectore libri Pontificalis ſaepe memorantur, quae ſacris monumentis adiunctae fuerint. Huiuſmodi vero ornamentis, quae tunc pretioſa habebantur, inſignita eſt etiam Crux ipſa Vaticana; quandoquidem gemmae numero XL., quibus plane eleganter eius ſuperficies diſtinguitur, tum reliquae numero XII., quibus orbiculus medius, in quo eſt vivifici ligni particula in Crucem diſpoſita, inſuper ornatur, ac demum ceterae numero IV. duae nempe utrimque pendentes a lateralibus brachiis, multiplicis ſpeciei ſunt, topazia nempe, carbunculi, ſmaragdi, acathes, ac alii id genus pretioſi lapilli. Inutile quidem eſſet loca ipſa deſignare, ubi ſingulae gemmae inſideant, quae diverſam, & variam ſortitae ſint diſpoſitionem; at non innuiſſe pigebit ex acathum ſpecie

Adeſt & Iohannis Phocae *de templis* cap. 28. auctoritas, quam citat Leo Allatius *de templis Graecorum recentior.* epiſt.1I. pag.40. Coloniae Agrippinae 1645., quaeque ita ſe habet: *Et templum ſpeluncae humeris inſidens, praelongum, praegrandeque, ad formam Crucis non putreſcentibus lignis contectum*. Tandem Zonaras, &Cedrenus tradunt Iuſtinum iuniorem templo *in Blachernis* duos fornices addidiſſe, ut *formam Crucis referret*, at de certa forma ſilent; quod etiam fieri videmus in S. Porphyrii vita apud Bollandium diei XXVI. Febr. cap.10. n.75., ubi narratur, Eudoxiam Aug. templi, quod ipſa Gazae in eius honorem excitari mandavit, ichnographiam miſiſſe, ſed nihil praeter haec innuitur, ſcilicet *deſcripta forma ſanctae eccleſiae in figuram Crucis*.

(*a*) Quae ab Anaſtaſio dicitur *Alabandina*, ad eam gemmarum ſpeciem referenda eſt, quae vulgo *carbunculus* appellatur, & de qua ita Plinius *Hiſt. Nat.* lib XXXVII. c.7: *Principatum habent carbunculi, a ſimilitudine ignium appellati, cum ipſi non ſentiant ignes, ob id a quibuſdam apyroti vocati. Horum genera, Indici, & Garamantici, quos & Carchedonios vocavere, propter opulentiam Carthaginis magnae. Adiiciunt Aethiopicos, & Alabandicos, in Orthoſia caute naſcentes, ſed qui perficiantur Alabandis. Praeterea in omni genere maſculi appellantur acriores, & feminae languidius refulgentes*. A Graecis ἄνθραξ dicitur, atque in Anaſtaſii Epitome legitur: Ἄνθραξ ὀξυφοίνικος μέν ἐστι τῷ εἴδει. *Carbunculus eſt colore Phoeniceo vehementi*; quod reſpondet S. Epiphanii (*de XII. gemmis rationalis Hebraeor.* pag.19. edit. Roman. ann 1743.) deſcriptioni: *Carbunculus habet ſpeciem rubricae nimis acutiſſimae*.

ſpecie eſſe, quae a lateralibus brachiis pendent (*a*). Id enim ſolemne fuit veteribus Chriſtianis, ut Cruces ex gemmis revera contexerent, atque ut eas etiam ſpecie tenus exprimerent, in ipſis vermiculatis operibus, quae in ſacrarum aedium abſidibus ſuperſunt, in lucernis fictilibus, atque in aliis quoque inſtrumentis non aliter deſignare ut plurimum conſueverint. Dignum ſane fuit Conſtantini magnitudine, pietate, & conſilio ornari nunc primum ex eius praecepto gemmis, & auro Dominicam Crucem, ut externo hoc ipſo ornamento infamiae nota, qua antea laborabat, & ſupplicii horror, quem uſquedum ingeſſerat, deleri, & averti videretur. Hinc non incondite Chriſtus a Prudentio (*b*) Romam gentium dominam ita alloquens adducitur:

Agnoſcas Regina libens mea ſigna neceſſe eſt,
In quibus effigies Crucis aut gemmata refulget,
Aut longis ſolido ex auro praefertur in haſtis.

Deſignanda nunc eſſet epigraphes, quae vericulo caelata in antica hac parte exſtat, ſed ad ſequens caput hanc opportunius adferemus. Illud tantum adnotamus, auctorem, more veterum Chriſtianorum tum in ſepulcris, tum in donariis uſurpato, parvum ſignum ſanctae Crucis in principio

b 2 epigra-

(*a*) Hoc achatum ornamentum pendens alia habet exempla apud Anaſtaſium, cum nempe legatur in vita Leonis IV. n. 536. edit. Blanchinii pag. 383. Tom. I: *Fecit . . . in eccleſia B. Clementis Mart. atque Pont. regnum . . . habens in medio Crucem de auro cum gemmis fixis* (*ſuis* editio Vignolii) *in eadem Cruce, vitreas quinque, & quae pendent item vitreas numero quatuor*; & n. 40. pag. 385: *Fecit in eccleſia Sanctorum Quatuor Coronatorum regnum . . . habens in medio Crucem auream habentem gemmas quatuordecim, ex quibus quinque in eadem Cruce fixas, & alias, quae ibidem pendent novem. Sex quidem albas, & hyacinthinas tres.* Huiuſmodi gemmae pendentes medio aevo *campanulae* dicebant, quod erudite prorſus exiſtimavit Praeſul doctiſſimus, noſtrique amiciſſimus Ioſephus Garampius, nunc apud Aulam Vindobonenſem Nuntius Apoſtolicus, in ſuis obſervationibus in partem quamdam veteris inventarii Apoſtolicae domus anni CIↃCCXLV., quam ipſe adduxit in opere, cui titulum fecit: *Illuſtrazione di un antico Sigillo della Garfagnana* cap. 3. n. 4. Ibi enim cum mitra pretioſa deſcriberetur, haec habentur: *in una de caudis ſunt* VI. *balaſſi, &* VI. *zaffiri groſſi, &* VIIII. *granatelli parvi, &* VIIII. *zaffirelli, &* XXVII. *perle, &* V. *campanelle; & in alia cauda &c.*

(*b*) Contra Symmachum lib. I.

epigraphis inſculpendum curaſſe (*a*). Quare nunc poſtica pars procedit, quae noſtram deſcriptionem expoſcit. Ea non aliter, quam floribus, foliis, volutis, aliiſque ſtriatis harpaginetulis, quibus utpote veritati adverſantibus adeo infenſus fuit Vitruvius (*b*), inſignita deprehenditur. Quinque inſuper dona-

(*a*) Crucis ſignum inſcriptionibus praeponi ſolitum ab Chriſtianis omnium temporum, docent exempla ſaeculi v. vi. & vii. in epitaphiis Munatiae apud Lupium *de Epitaph. S. Severae* pag. 147., Mamercii Marcellini apud Iohannem de Vita Epiſcopum Reatinum, dum vixit amicitia mihi coniunctum, Diſſert. xi. *Theſ. antiq. Benev.* pag. 290., ac tandem Importunae apud Boldettium *in Obſervat. ad Coemet.* pag. 86.

(*b*) *De Architect.* lib. viii. cap. 5. Notandum tamen occurrit, quod inter ornamenta Vaticanae Crucis aliquot etiam vitis pampinos cernere licet; ſatis enim obvia vitis in veterum monumentis. Chriſtiani cum mente, & manibus ſacras ſcripturas verſarent, probe noverant, quam frequens in iis huiuſmodi ſymbolum occurreret, quo vel anima (vid. *Act. S. Pionii* n. xii. ap. Ruinart.), vel Eccleſia, vel ipſe Reparator Chriſtus Ieſus, qui *vitis vera* dicitur (Ioh. 15. v. 1.), & in Cantico Canticorum (cap. 1. v. 13.) *Botrus Cypri dilectus meus mihi in vineis Engaddi*, vel tandem incruentum Euchariſtiae Sacramentum, quod ſupra Martyrum ſepulcra in Catacumbis celebrari conſueverat, innueretur. Nec etiam alibi (Pſal. 79., & Iſai. c. 5.), quae idem portendant, deſunt in Scripturis. Palmes enim Verbum eſt, quod pro nobis veluti expreſſum eſt, ut obſervat Clemens Alexandrinus (*Paedag.* lib. I. cap. 2.), cuius rei rationem afferens (lib. I. cap. 5.) ait, quemadmodum vitis vinum emittit, ita Verbum ſanguinem effudit. Sedulius quin etiam ita hac de re cecinit (lib. iiI. v. 8:)

Implevit ſex ergo lacus hoc nectare Chriſtus,
Quippe ferax, qui vitis erat, virtute colona
Omnia fructificans, cuius ſub tegmine blando
Mitis inocciduas enutrit pampinus uvas.

In tractatu *de duplici martyrio*, quod temere Sancto Cypriano tribuitur, (num. 6.) Eccleſia Dei hiſce verbis deſignatur: *Illa beata vitis a Chriſti ſtipite ſurgens, & occupans orbem terrarum.* In veterum monumentorum Aquileienſium collectione, quam concinnavit vir doctus Ioh. Dominicus Bertolius illius Eccleſiae Canonicus (pag. 406.) occurrit vetus pictura Aquileienſis, quae exhibet Chriſtum crucifixum pluribus vitis gyris circumdatum, quae certe ad recitatum Iohannis teſtimonium referatur. S. Hieronymus *in epiſtola ad Heliodor.* memorat ſacerdotem Nepotianum, *qui baſilicas Eccleſiae, & Martyrum conciliabula diverſis floribus, & arborum comis, vitiumque pampinis adumbravit.* Illud tandem monebimus in abſide Eccleſiae S. Clementis Papae, & M. Romae haberi ornamentum veteri muſivo opere expreſ-

donatur orbiculis, quorum unum medium locum tenet, & ambitu ſuo concludit crucigerum Agnum, redimitum; alterum vero in vertice eſt, alterum ad calcem, quo Salvatoris utrobique diademate cincti, & ſuperius benedicentis, librumque geſtantis, & inferius dextera volumine, ſiniſtra Cruce inſtructi effigies clauditur, ac duo alia ad latera tranſverſalia habentur, quorum alter ad dexteram Auguſti vultum, alter ad laevam Auguſtae faciem continet. Opus vero conſtat ex argenteis laminis inauratis, quae quidem laminae ex poſtica ipſarum parte ad imaginum figuras antrorſum proiiciendas percuſſae, has in antica exhibent exſtantes, ac prominentes, inſtar anaglyphtici operis; ex auro tantum confectus cernitur orbiculus medius anterioris partis, quo venerabile Crucis lignum, quod diximus, occluditur, & in quo ſane, cunctis iam probe animadverſis, tamquam *in ſigno victoriae* (ut ait Petrus Damianus (*a*) Oſtiae, & Velitrarum patriae noſtrae Epiſcopus) *victorem colimus*, *&* *adorando Crucem*, *ipſum*, *qui crucifixus eſt*, *adoramus*. Atque haec quidem huiuſmodi ſunt, ut nec ſine eruditione, nec ſine religione aut intueri, aut perpendere liceat.

CAPUT II.

Crux Vaticana Iuſtini Auguſti donum.

Latina epigraphes, quae anticam partem occupat Crucis Vaticanæ, Iuſtinum Auguſtum ipſius donatorem facile prodit. Huius partis, quam diximus, ſingula, ex quibus conſtat, latera hoc ipſo lemmate inſcripta ſunt; at in brachiis quidem lateralibus conſueto litterarum ordine expreſſum

expreſſum, quo Crux circumdatur, hincque legi hos verſus, quibus id, quod ſupra a nobis dictum eſt, vitèm nimirum eſſe Eccleſiae ſymbolum, mirifice confirmatur:

ECCLESIAM CHRISTI VITI SIMILABIMVS ISTI
QVAM LEX ARENTEM (ſic) SET CHRISTVS FECIT ESSE VIRENTEM

Vide & de his differentes clariſſimos viros Buldettium (*Oſſervaz. ſopra i Cimiteri de' SS. Martiri* lib. I. c. 7. p. 27.), & Bottarium (*Roma ſotterranea* To. I. pag. 125. Tav. XXXII.)

(a) Homil. 48.

ſum illud eſt ; in ſuperiore vero, & inferiore Crucis parte perpendiculariter litterae diſpoſitae ſunt, ut in aliis quinetiam tum Graecis, tum Latinis monumentis cernere eſt. Solemne enim erat ſequioris aetatis opificibus hac ratione litteras ordinare vel receptae concinnitatis gratia, vel ob loci anguſtiam, quod ſane in noſtro monumento uſuveniſſe manifeſtum eſt. Si Crucem Cortonenſem inſcriptam tabulae ex ebore, quae ad Nicephorum Phocam Imp. pertinet, quaeque luculenter inluſtrata eſt a viro cl. Philippo Venutio (*a*), inſpicere lubeat, graecae epigraphis verba nonnulla ex neceſſitate perpendiculariter inſculpta occurrent, cetera vero eadem quoque ratione inſculpta habentur ob venuſtatem, quae in eo eſt, ut quatuor iambi in poſtica praeſertim parte Crucem ex litteris conflatam praeſeferre poſſent.

Vetuſtatem quidem non mediocrem ſapit inſcribendorum lemmatum in Crucibus ſtilus, & conſuetudo ; quae forte a Magno Conſtantino repetenda eſt, ut proinde, quemadmodum ille gemmatas Cruces primus invexit, ita & litteratas primus fieri iuſſerit. Collector libri Pontificalis, qui Anaſtaſius Bibliothecarius vulgo audit, luculentiſſimum quidem teſtimonium nobis adſervavit, quo id aſſeramus, quodque & nos alibi adduximus (*b*). Hinc quidem nobis pateſcit, qua ratione Conſtantinus ipſe, & eius piiſſima mater Helena ſupra corpus beati Petri Apoſtolorum Principis auream Crucem epigraphe ornatam conlocaverint. Accipe teſtimonium (*c*): *Fecit & cameram Baſilicae ex trimma auro fulgentem : & ſuper corpus B. Petri, quod aere concluſit, fecit Crucem ex auro puriſſimo, penſantem libras CL. ad menſuram loculi, ubi ſcriptum eſt* : CONSTANTINVS . AVG. ET . HELENA . AVG. HANC . DOMVM . REGALEM . SIMILI . FVLGORE . CORVSCANS . AVLA . CIRCVMDAT, *ſcriptum ex litteris puris nigellis* (*d*) *in Cruce ipſa*. Si alias litteratas

(*a*) *De Cruce Cortonenſi Diſſertatio*. *Liburni* 1751.

(*b*) *Vaticana Confeſſio Beati Petri Principis Apoſtolorum inluſtrata* p.41. *Romae* 1776.

(*c*) Tom.I. n.17. in vita S. Silveſtri, Romae 1724. edit. Iohan. Vignolii.

(*d*) Opus *de nigello*, ſeu *nigellum* Italis *niello*, erat caelaturae ſpecies, encaſtum nempe nigrum, vel ſubnigrum, ex argento & plumbo con-

teratas Cruces quaeras , digitum intendiſſe fuerit ſatis ad cl. Gorium (*a*), Venutium (*b*) , alioſque, qui plures alias recenſent.

Nunc vero gradum facimus ad Vaticanae Inſcriptionis palaeographiam , quam nos nunc expendere opus eſt , ut hinc etiam eius vetuſtas deprehendatur. Elementum A primum attendatur , quod in nonnullis vocibus non acuminatum parte ſuperiore eſt, ſed lineam habet planam, & hinc inde exporrectam. Haec ſane litterae forma ipſa Iuſtini Imp. tempora longe antecedit , ut ex numiſmatibus diſcere eſt, in quibus veſtigium aliquod huiuſmodi ſcripturae apparet ab ipſa Veſpaſiani , Titi , Domitiani, Traiani , utriuſque Fauſtinae, & M. Aurelii aetate , & eo magis ſequiori aevo eadem invaluit. Conſulatur praeſertim Theocriti Augg. lib. Pyladis Pantomimi a Gruterio (*c*) allata Inſcriptio, in qua ad cippi latus, ubi expreſſa forte eſt Tragoedia, TROAS inſcripta, vel eadem adumbrata, adſtat vir tunicatus , & palliatus, qui forte primas agebat partes , dextra perſonam, ſiniſtra haſtam tenens , ac ſimul TROĀδĀS ſcriptum legitur, utroque elemento A ea, ut diximus , & nunc exhibemus, ratio-

confectum, quo cavitas ſculpturae repletur. Vid. Du-Cangium v. *nigellum* , & μέλαν , ubi tamen τὸ μέλαν , quod Theophanes , & Cedrenus memorant, cum hoc *nigello* prorſus nihil habet commune, ſed eſt glaſtum , quod vulneribus acu in carne factis infricatur, & ſic ſtigma facit.

(*a*) *Crux e vitali ligno S. Crucis , in qua ſculptus I. C. Nazarenus capite mitrato, quae adſervatur in theſauro Baſilicae Baptiſterii Florentini*, cap.7. Tom.II. *Crucis Dominicae*.

(*b*) Loc. ſupra cit. p.23. & ſeqq. Vid. inſuper Dominicum Collinellium *Memorie Iſtoriche di Budrio* Tab.IV. pag.29. Bononiae 1720., Gregorium Placentinium Monachum Baſilianum *Epitome Graecae Palaeographiae* p.30. Romae 1735., Magnoaldum Ziegelbaur Monachum Benedictinum *Hiſt. Didactica de S. Crucis cultu , & venerat. in Ordine S. Benedicti*, ac tandem Iohan. Baptiſtam Schioppalalbam Diſſert. *in perantiquam ſacram tabulam Graecam Sodalitio S. Mariae Caritatis Venetiarum a Cardinali Beſſarione dono datam* Tab.III. & IV. Venetiis 1767.

(*c*) *In Auctar. ſacror.* pag.1024. n.5. Refert & Salmaſius ad *Hiſtor. Aug.* pag 499., Dominicus Georgius in Diſſert. *de Locatoribus ſcenicorum* pag.130. Vol.II. *Symbol. litter. Florent.*, & Auctor libri, cui titulus : *Antiquitates ſacrae , & civiles Romanorum explicatae auctore M. A. V. N. Hagae Comitum* 1726. Tab.LXVIII. pag.257.

ratione conformato. Id nunc obſervandum, & exemplis confirmandum inſuper erat, ut eo abſurdior, & inveriſimilior ſingulis proderetur utriuſque Vaticanae Baſilicae Beneficiarii Sindonis, & Martinettii, quos ſupra innuimus, lectio, qua ob hanc litterae Ā formam in voce SOCIĀ a caelatore uſurpatam, litteram T litterae A conſociatam exiſtimantes SOCIAT pro SOCIA nobis obiecerunt (*a*).

Longe

(*a*) *Della Baſilica Vaticana* lib. I. pag. 46. , & ſeqq. „ Altra antichiſſima Reliquia del medeſimo „ ſanto Legno ſi venera nella noſtra Baſilica inſino dal ſeſto ſecolo della Chieſa. Fu queſta donata unitamente col reliquiario, „ che ancora conſervaſi nel primiero ſuo ſtato, da Giuſtino Imperatore. Sopra di che non può „ cader dubbio, vedendoſi a chiare note inciſo nella parte anteriore del medeſimo reliquiario „ il nome del donatore colla ſeguente iſcrizione eſpreſſa in due „ verſi, e ſono:

„ *Ligno quo Chriſtus humanum ſubdidit hoſtem*
„ *Dat Romae Iuſtinus opem, & ſociat ſalutem*.

„ Noi così leggiamo, *ſociat*; imperocchè la lettera A è formata in guiſa, che avendo ſovrappoſta un' aſta traſverſa, viene „ a comprendere due lettere A, T, „ come ognuno può riconoſcere „ dalla di lei figura quì impreſſa Ā. Nè punto ci commove, „ che queſta lettera non ſia conforme alla regola del verſo eſametro. Perocchè ſe ſi conſidera „ e la forza del ſignificato, ed il „ coſtume molto familiare nella „ lingua latina, facilmente ſi conoſce, che l' autore del metro „ in vece di ſcrivere *ſociatque*, ha „ voluto dire *& ſociat*; potendo „ ognuno ſoſtituire il primo vocabolo in vece del ſecondo, „ quando voglia attenerſi al rigore della Poesìa. Con queſto „ ſentimento noi crediamo, che „ Giuſtino ſeniore, il cui imperio „ incominciò ne' principj del ſeſto „ ſecolo, abbia fatto il generoſo „ dono di queſta Reliquia. Non „ vogliamo però diſſimulare, che „ la ſopraddetta Iſcrizione potrebbe da alcuno riferirſi ancora al ſecondo Imperator Giuſtino, chiamato perciò il giuniore, „ quando voglia ſeguirſi un' altra „ lezione, e in vece di *ſociat*, s' intenda *Sophia*. Egli è certo, che „ *Sofia* è ſtata moglie di Giuſtino „ giuniore; e per conſeguenza, „ che ammettendoſi una volta la „ lettura della voce *Sophia*, debba „ il prezioſo dono attribuirſi unitamente e all' Imperator Giuſtino giuniore, ed a Sofia di lui „ conſorte, e Imperatrice. Ma „ la difficoltà conſiſte nell' accordare in queſta epigrafe il termine *Sophia*. Vi ſi vede eſpreſſa „ la lettera C con tanta naturalezza, che ſenza manifeſta violenza non vi ſi può traſportare „ altra lettera qualunque ella ſiaſi. „ Noi non vogliamo sù di ciò „ ſtenderci più lungamente; poichè o intendaſi il primo, o il „ ſecon-

Longe aberant Iuſtini Imp. tempora, cum eo etiam aevo, quo elegans rotundus character, qui maiuſculus audit, obtinebat, familiaris inſuper fieri coepit quibuſdam Amanuenſibus curſivi, ut vocant, characteris aliqua conformatio, qua vetuſta concinnitas corrumpi viſa eſt, quaeque ſane a ſcripturae celeritate profecta dici poteſt. Hinc etiam factum ſuſpicamur, ut caelatores, qui vel huic ſcriptionis corruptelae adſueſcere manum paſſi fuerant, vel quibus exemplar, quod ante oculos eſſet, imitari religio erat, aliquos etiam curſivos characteres inter ceteros antiquos inducere non dubitaverint, forte etiam novitatis laudem aliquam hinc aucupari temere exiſtimantes. Nec aliter contigit, ut B, dempto uno corpore, b ſcriberetur, V ad imum rotundaretur, & ne ulterius ſermone progrediamur, D ad hanc faciliorem formam d redigeretur, vel eam indueret, quae in noſtra epigraphe perpetuo uſurpatur ſic confecta ∂, quaeque, monente Philippo Bonarrotio (*a*), a Graecis forte fieri inchoata, dein etiam a Latinis adſcita eſt.

His opportune quidem, ut exiſtimamus, praemiſſis, ita epigraphem legendam proponimus:

LIGNO, QUO CHRISTVS HVMANVM SVBDIDIT HOSTEM,
DAT ROMAE IVSTINVS OPEM, ET SOCIA DECOREM.

Hinc nobis etiam tacentibus, Vaticanae Baſilicae Beneficiarii utriuſque oſcitantia altera, per quam *& ſociat ſalutem* nobis temere obtruderunt pro *& ſocia decorem*, palam fiet. Videt porro unuſquiſque, duos hexametros verſus heic haberi, quandoquidem penultima vox *ſocĭa*, ut nobis videtur, legenda omnino eſt. Norunt enim omnes, apud Latinos huius vocis penultimam ſyllabam corripi ob vocalem alteram, quae ſubſequitur; quod aliter apud Graecos uſuvenit, qui ab hac lege immunes, immo ſine lege vagantes habentur. Apud eos

 nempe

„ ſecondo Imperatore per nome „ Giuſtino, ſempre è vero, che „ la Reliquia ſia antichiſſima, „ e che ſino dal ſeſto ſecolo, in cui „ l' uno e l' altro Giuſtino ottenne „ l' Imperio, ſia ſtata traſmeſſa „ alla Baſilica Vaticana &c.

(*a*) Praefat ad opus: *Oſſervaz. ſopra i vetri &c.* pag. 24.

nempe *σοφία*, *φιλία*, *ἀναςασία*, & aliae huiuſmodi voces, *ι* ante *α* purum inſtructae, longa terminatione pronunciari conſueverunt; quemadmodum etiam apud Theocritum, ſive quem alium auctorem, in Syringe:

Σύριγξ ἔνομ᾽ ἔχεις· ἄδει δέ σε μέτρα σοφίης.

Syrinx nomen habes: canunt vero te metra ſophiae.

Tum & apud Homerum Odyſs. X. v.374.

Ὡς κακοεργίης ἐυεργεσίη μέγ᾽ ἀμείνων!

Quam beneficium melius eſt maleficio (*a*)!

Quare hinc coniicere eſt, diſtichi huius auctorem, etſi natione Graecum, latinizantem, ſive *ῥωμαϊςὶ*, ideſt Romano idiomate, ut aiebant, loquentem fuiſſe, qui graecam quantitatem, & pronunciationem latinae voci *ſocia* aptaverit, ut hinc metro conſuleret, & verſus quoquomodo bene conſtaret; etſi prior etiam proſodiae errore laboret, qui in voce *Chriſtus* ultimam ſyllabam, quae brevis eſt, longam praeferat. Neque ſane defuerunt & ante, & poſt Iuſtini tempora Graeci latine ſcientes, & loquentes, quod ſi nunc ageremus, facile oſtendere poſſemus, cum longo etiam tempore latinus ſermo Conſtantinopoli obtinuerit. Du-Cangius (*b*) quidem in eo eſt, ut evincat Iuſtinianum Codicem ſuum bilinguem, graece nempe, & latine promulgaſſe; praeterquamquod communis eſt Criticorum ſententia, uſque ad Heraclii Imp. tempora latinae linguae uſum ibidem ſtetiſſe, & cum eius morte ſolum obſoleviſſe, licet in Graecum ſermonem multa verba, & locutionis genera irrepſerint, quae a Romano ſermone profecta agnoſcere neceſſe eſt. Id profecto legenti libros *de Caeremoniis Aulae Byzantinae* Conſtantini Porphyrogenitae ita patebit, ut nihil manifeſtius eſſe poſſit.

Quod vero nunc a Graeco ſcriptore factum cernimus in hoc diſticho concinnando, qui ad patriae linguae genium latinam vocem *ſocĭa* accomodaverit, ab Hebraeis etiam geſtum novimus, qui ad Chriſtianam fidem profecti, & latine balbutientes, eo quod vocem רוח *ruach*, hoc eſt, *ſpiritus*, *ventus*, in

(*a*) Vide *Proſodiam Graecam Paulli Mocciae*, *Neapoli* 1767. p.243.

(*b*) In Praefat. ad *Gloſſ. Graec.* pag. XII.

in proprio idiomate mulicbris generis haberent, ſimulque didiciſſent feminina nomina fere ſemper a Latinis in A terminari ſolere, non aliter, quam *ſpirita*, interpretando proferebant. Hinc cum ſe vel baptiſmate tinctos, ut viſum eſt Fabrettio (*a*), vel confirmatione munitos, ut cenſuit Mabillonius (*b*), exprimere volebant, CVM SPIRITA SANCTA ſe gratiam *accepiſſe* profitebantur. Huiuſmodi monumenta exſtant apud laudatum Fabrettium, & Mabillonium, tum apud Fleetwodium (*c*), Marcum Antonium Buldettium (*d*), Iohannem Marangonium (*e*), Alexium Symmachum Mazochium, qui hac de re erudite diſſerit (*f*), alioſque, quos mittimus. Sed de hoc ſatis, cum haud ſane rem noſtram propius attingat, ut proinde gradum facere praeſtet ad id, quod ad verum huiuſce noſtrae Crucis donatorem, ſcilicet an Iuſtinum ſeniorem, an iuniorem, adſtruendum conducat.

CAPUT III.

Quis ex duobus Iuſtinis, nempe an ſenior, vel iunior, Crucem noſtram donaverit.

SUperiori capite ea adduximus, per quae Iuſtinum Aug. una cum coniuge & Crucem noſtram conflari mandaſſe, & Romam dono mitti curaſſe patuerit. Id nunc negotium faceſſit, quod cum duos Iuſtinos orientale imperium moderantes ſaeculum VI. tulerit, ſcilicet alterum e Thracia, qui & ſenior ab anno IↃXVIII. ad IↃXXVII., alterum vero iuniorem, qui & *Curopalates* dictus eſt, ab anno IↃLXV. ad IↃLXXVIII., inter incerta idcirco relinquatur, quis eorum potiſſimum fuerit, cui huiuſmodi munus acceptum ſit referendum. Pompeius Ugonius,

(*a*) *Inſcript. domeſt.* cap. VIII. n. LXI. pag. 574.

(*b*) *Itin. Ital.* pag. 73.

(*c*) *Inſcript. antiq.* pag. 430.

(*d*) *Oſſervaz. ſopra i Cimiteri &c.* pag. 87., & 276.

(*e*) *Append. ad Act. S. Victorin.* pag. 105., & in libro, cui titulus: *Delle coſe Gentileſche ad uſo delle Chieſe* cap. LXXXII.

(*f*) *Spicileg. Bibl.* Tom. I. p. 17. & in epiſt. *de Inſcript. Hilari* p. 48., & pag. 59. Vid. inſuper Cl. Xaver. Matthaeium *della Poesìa degli Ebrei, e de' Greci* Tom. I. cap. IV. pag. 50.

nius, qui elenchum dedit ſacrarum reliquiarum Baſilicae Vaticanae, hanc diſquiſitionem intactam reliquit, contentus tamquam Iuſtini Imp. dònum generali, & incerto vocabulo deſignaſſe (*a*). Iohannes Severanius vero recenſens Principes, qui veneratione, & munificentia in Baſilicam Vaticanam inclaruerunt, eorumque dona aliquot memorans, ita Iuſtinum ſeniorem cum Iuſtiniano temere confudit (*b*): *Giuſtiniano Imp. mandò parimente doni prezioſiſſimi in tempo di Gregorio II. circa l' anno* 533. , *il quale ne aveva ancora mandati prima, che fuſſe Imperatore, cioè l' anno* 519. *in tempo del medeſimo Ormiſda*; *particolarmente una Croce d' argento dorato col ſantiſſimo legno della Croce, ornata di molte gioje*. Habes heic alucinationum acervum, nimirum Iuſtini Aug. nomen in Iuſtiniani alterum permixtum, & Iohannis I. Pontificis, quem nonnullis donis Iuſtinum ſeniorem proſequutum fuiſſe novimus, nomen ipſum in alterum Gregorii II., qui Romanam ſedem poſt duo fere ſaecula tenuit, commutatum. Pro Iuſtino ſeniore autem primum ſtetiſſe comperimus Franciſcum M. Turrigium (*c*), qui rem ita exponit: *Si conſerva ancora in queſta Baſilica un' altra Croce d' argento indorato con alquante gemme pendenti, mandata da Giuſtino I. Imp. a Papa Giovanni I. ove è rinchiuſo del ſanto legno della Croce, e vi ſono intagliati queſti verſi: LIGNO QVO CHRISTVS &c. Tal Croce ha da una banda in un cerchietto d' oro il detto legno, & alcune gemme pendenti; dall' altra l' effigie del Salvatore, di S. Giovanni Battiſta* (*d*), *di Giuſtino, e Flavia Euſemia ſua moglie, e nel mezzo l' Agnello Paſcale*. Deinde ſubdit Iacobi Grimaldii auctoritati innixus, hoc ſanctae Crucis cimelium in urbis depopulatione, quae contigit anno CIↃIↃXXVII., direptum fuiſſe, hincque rurſus vindicatum ad Baſilicam Vaticanam, tamquam ad ſuam ſedem, reverſum fuiſſe.

Hacte-

(*a*) *Iſtoria delle Stazioni di Roma* pag. 103. *Una Croce donata da Iuſtino Imperatore, con il ſuo nome, & con legno dentro della Croce di noſtro Signore*.

(*b*) *Mem. ſacre delle ſette Chieſe di Roma*. Par. I. pag. 203.

(*c*) *Le ſacre Grotte Vaticane*; pag. 254., & ſeqq.

(*d*) Reparatoris noſtri imago non vero Praecurſoris, & quidem repetita, licet diverſo geſtu, exſtat in Vaticana Cruce, uti ex ſola ipſius Crucis delineatione manifeſtum fit.

Hactenus ſuperioris aetatis Scriptores; aſt qui hoc ſaeculo vertente floruerunt, & adhuc florent, vel rem indeciſam reliquerunt, ut Vaticanae Baſilicae Beneficiatus uterque Sindones, & Martinettius (*a*), vel pro Iuſtino ſeniore pronunciarunt, ut cl. Paciaudium noſtrum (*b*) feciſſe novimus: *Extremum eſt* (ipſe ait) *ut Crucem omnium, quae Romae ſunt, antiquiſſimam, & cum figura, tum ornatus concinnitate huic noſtrae longe adſimilem, oratione attingam. Auream illam hic aio Crucem in ſacrario Vaticano adſervatam, carbunculis, ſmaragdis, topatiis, margaritis fulgentem, ſenioris Iuſtini Imp. (quid ni oblatam credam a ſeniore, cuius munificentiam in Baſilicam Vaticanam toties laudat Anaſtaſius?) & Euphemiae, vel Theodorae Aug. effigie in extremis brachiorum oris diſtinctam, & ligni vivifici ſacratiſſimae Crucis particula inſignem, cuius accuratum exemplar nemo hactenus, quod ſciam, in hominum oculis, conſpectuque collocavit. In poſtica illius facie, ubi Augg. imagines apta litterarum diſpoſitione inſcriptio vericulo caelata legitur, quae ſacrae largitionis auctorem, aetatemque luculentiſſime declarat.* Aſt Crux Vaticana, ut iam monuimus, ex inaurato argento eſt, neque epigraphes eam partem, quae Imperiales vultus exhibet, ſed eam, quae Crucis ligno inſignita eſt, ſive anticam, & potiorem occupat. Nec aliter de Iuſtino ſeniore ſenſit quin etiam vir doctrina, & pietate ſpectatiſſimus Philippus Laurentius Dionyſius (*c*), qui monumenta enumerans, quae poſt ceterorum iacturam a vetuſto tempore adhuc bono fato in Vaticana Baſilica ſuperſunt, ita ſuam ſententiam exerit: *Illud in primis adnumerari debet Iuſtini ſenioris Auguſti praeclarum ſane munus, argentea ſcilicet Crux inaurata, gemmis diſtincta, in aureo circulo particulas de vero Crucis ligno continens, hiſque verſibus exarata: LIGNO QVO CHRISTVS HVMANVM &c.*

Quare ſi horum eruditiſſimorum virorum auctoritati ſtandum eſſet, rem pro Iuſtino ſeniore iam confectam haberemus.

(*a*) *Della ſacroſanta Baſilica di San Pietro* lib. I. pag. 46. & ſeqq.

(*b*) *De cultu S. Iohannis Bapt.* Diſſert. VI. pag. 263.

(*c*) In Praefat. *ad ſacrarum Vaticanae Baſilicae Cryptarum monumenta* pag. XV.

beremus. Sed ſi rationum momenta, quae nos animo noſtro verſamus, aperire licet, facile id nos evincere poſſe ſperamus, niſi noſter nos fallit amor, ad Iuſtinum iuniorem potius, & ad eius coniugem Sophiam, non autem ad ſeniorem, & ad Euphemiam, ſive Theodoram eiuſdem uxores hoc donum eſſe referendum. Controverſia, ſive ambiguitas omnis evaneſceret, ſi Auguſtorum vultus, quos heic expreſſos cernimus, ad prototypum exactos haberemus; quod ſane cum dici haud poſſit, neque etiam ex numiſmatibus facile ſit archetypam faciem utriuſque Iuſtini deprehendere, (quod & huius aetatis monumentorum cenſor egregius Carolus Du-Cangius (*a*) fateri non dubitavit), atque cum inſuper deſint Theodorae, & Sophiae vultu ſignata numiſmata, tum dubia cenſeantur, quae a nonnullis Euphemiae tribuuntur (*b*), aliunde argumentorum noſtrorum rationes petere

(*a*) Diſſert. *de Impp. CPolanorum Numiſm.* num. 71. Romae 1755. in quo ſic habet: „ Neque minor „ eſt difficultas in diſcernendis „ utriuſque Iuſtini, ſenioris ſcilicet, ſeu Thracis, & iunioris, „ qui & Curopalata vulgo appellatur, nummis. Eos qui Imperatorem plena facie exhibent „ cum camelaucio, clypeo, ſpiculo, vel globo, ſeniori adſcripſimus, quod cum ſatis ſint bene „ expreſſi, aut formati, non ea „ nobis viderentur aetate cuſi, „ qua barbaries in orbem Romanum invecta eſt, maxime aevo „ Iuſtiniani, & Iuſtini nepotis, „ quod prae ceteris evincunt eorum nummi peſſime effigiati, „ ſiquidem Iuſtini iunioris ſint, „ quos ei adfinximus, luſca plerique facie, ſed levi, fateor, „ coniectura: quum in iis, qui „ plena facie ſunt, exſtet aereus, „ qui cuſus annotatur Conſtantinopoli anno decimo Imperii, „ quem vix attigit, cum anno „ nono, menſe ſecundo, extinctum prodat Marcellinus Comes, tametſi cuſus dici poteſt „ decimo ineunte imperii. Qui „ vero Iuſtini Imperatoris nomina, cumque una cum uxore „ Auguſta in eadem ſella ſedentem praeferunt, indubitanter „ iuniori attribuimus, quum in iis „ ſint, qui annum imperii, quo „ cuſi ſunt, duodecimum adſcriptum habeant, adeo ut inde „ firmari poſſit annus imperii Iuſtini iunioris, quo exceſſit, de „ quo controverſia eſt apud veteres Scriptores. „

(*b*) Exſtant apud Bandurium Tom. II. *Numiſm. Impp.* Lutetiae Pariſiorum 1718. pag. 628. aliquot nummi Euphemiae cum epigraphe D N AEL EVPHEMIA . . . vel D N AEL MARC EVFEMIAE P F AVG, id eſt, *Dominae noſtrae Aelie Marcianae Euphemiae*

tere opus erit. Cl. Paciaudius noſter ex ceteris donis, quae Iuſtinus ſenior in Vaticanam Baſilicam liberaliter contulit, de hoc eidem quinetiam tribuendo coniecturam fecit. Nos vero ex hoc ipſo difficultatis noſtrae adverſus eumdem fundamenta deſumimus. Cum enim Anaſtaſius Bibliothecarius, ſive quis alius libri Pontificalis auctor, ſingula accurate dona recenſeat a Iuſtino ſeniore profecta, quis credat porro Crucem noſtram, ſi ad ipſum ſpectaſſet, ſilentio praeteriri ab eo potuiſſe? Atque eo inveriſimilius id fieri video, quo frequentius in laudato opere occurrunt Crucium munera, quibus vel Pontifices, vel Principes Eccleſias ditarunt, ac praeſertim in vitis Hilarii, Symmachi, Sergii, Leonis III., &, quod ad noſtram aetatem pertinet, in vita Vigilii (*a*) innuitur potiſſimum Crucis donum, quod Beliſarius obtulit Baſilicae Vaticanae, quod ita enarratur: *Tunc Beliſarius Patricius veniens Romam de ſpoliis Wandalorum obtulit B. Petro Apoſtolo per manus Vigilii Papae Crucem auream cum gemmis, penſantem libras C., in qua ſcripſit victorias ſuas*. Iuſtini ſenioris autem largitiones Anaſtaſius binis locis recenſet; ac primum quidem in vita Hormiſdae, ubi haec habet (*b*): *Eodem tempore miſit Iuſtinus Aug. Romam multa aurea, vel argentea dona de Graecia; Evangelia cum tabulis aureis, & cum gemmis pretioſis, penſantia lib. XV. Patenam auream cum gemmis hyacintinis, penſantem lib. XX. Patenas argenteas II. penſantes ſingulas lib. XXV. Scyphum aureum circumdatum regno, penſantem lib. VIII. Scyphos argenteos deauratos III. penſantes lib. V. Gabatam electrinam penſ. lib. II. Thecas cerei aureas II. penſ. ſingulas lib. VI. Pallia olovera blattea, cum tabulis auro textis, duo: Chlamidem, vel ſtolam imperialem, & ſubſictorium ſuper confeſſionem. Haec omnia a Iuſtino Aug. orthodoxo votorum*

phemiae piae felici Auguſtae; ſed *videndum* (ſubdit doctiſſimus Collector) *num ad Iuſtini uxorem pertineant; cum enim eadem ferme, hoc eſt Leonis aetate altera Euphemia fuerit Marciani filia, Anthemii coniux, probabiliſſimum eſt eam Marcianam vocatam, Auguſtaeque titulo ornatam fuiſſe; quamobrem ſi quis ei nummos hoſce tribuere voluerit, me in ſententiam eius libentiſſime iturum eſſe profiteor*.

(*a*) Tom.I. n.2. edit. Vignolii.

(*b*) Ibid. num.10.

rum gratia Beato Petro oblata ſunt. Dein in vita Iohannis I. poſtquam ovationem expoſuit, qua exceptus eſt Conſtantinopoli Summus Pontifex pro Iuſtini ſenioris in eum pietate, & obſervantia, quamque ita deſcribit (*a*) : *Qui dum appropinquaſſet civitati milliario XV.*, *ipſe Rex* (Iuſtinus), *& omnis civitas obviam venit cum cereis*, *& Crucibus*, *quaſi B. Petrus praeſentialiter adeſſet*; *quia veteres Graecorum hoc teſtificabantur dicentes : a tempore Conſtantini Aug.*, *ac B. Silveſtri Epiſcopi Sedis Apoſtolicae uſque ad Iuſtini Aug. tempora non meruiſſe partes Graecorum B. Petri Apoſtoli Vicarium* (*b*) *ſuſcipere cum gloria*. *Tunc Iuſti-*

(*a*) Ibid. num.3.

(*b*) In libro, quem *de Vaticana Confeſſione* inſcripſimus pag. 198. aliqua attigimus de veteri, & prioribus ſaeculis ſatis obvia nuncupatione *Vicariorum B. Petri* penes Romanos Pontifices; neque hic praeſtat alias auctoritates congerere ad probandum *Vicarii B. Petri* nomen bene, recteque conveniſſe, & convenire illis, qui ſuccedentes S. Petro eius vices gerunt, ita ut S. Petrus in ipſis adhuc vivere, eademque ſibi tradita primatis dignitate, ac poteſtate toti Eccleſiae praeeſſe videatur. Duo tantum addam, unum ad eruditionem, aliud ad rem. Sit primum pulcherrima inſcriptio, quae nunc exſtat in collectione lapidum Muſei Vaticani, quaeque forſan ad Sergium I. R. Pont. pertinet, atque in hunc modum ſe habet :

*Sanctae vir*GINIS ET MARTYRIS XPI SVSAN
nae ego SERGIVS EPISC. SERVVS SERVORVM DI
*quem p*ROVIDENTIAE SVAE DIGNATIONE DNS
*conſtitui*T ECCLESIASTICARVM RERVM DISPEN
ſatorem ... AE QVI VICEM APOSTOLORVM PRIN
cipis ſortitus EST VT PERAEQVARI DEBEANT EC
*cleſiae indig*ENTIAM SVSTINENTI SVCCVRRI
- - - - - - - - - - - - - - - - - -

Alterum ſit, & quidem ad rem, *Pontificale* nempe *Romanum* Clementis VIII., ac Urbani VIII. auctoritate recognitum, quo adhuc utitur Romana Eccleſia. In eo ubi de examine Electi in Epiſcopum agitur, his verbis a Conſecratore Electus interpellatur : *Vis beato Petro Apoſtolo*, *cui data eſt poteſtas ligandi*, *ac ſolvendi*; *eiuſque Vicario Domino noſtro*, *Domino N. Papae N.*, *ſuiſque ſucceſſoribus*, *Romanis Pontificibus*, *fidem*, *ſubiectionem*, *& obedientiam*, *ſecundum canonicam auctoritatem*,

Iuſtinus Aug. dans honorem Deo , humiliavit ſe pronus in terram , & adoravit beatiſſimum Iohannem Papam ; inferius ſubdit munera, quibus Iuſtinus ipſe Romanum Pontificem , dum Conſtantinopoli moraretur, proſequutus eſt, atque expreſſe deſignat (*a*) *patenam auream cum gemmis , penſantem lib. XX. Calicem aureum cum gemmis , penſantem lib. V. Scyphos argenteos V. Pallia auro texta XV. , quae ipſe Iohannes Papa detulit , & ad Beatos Apoſtolos Petrum & Paulum , & ad Sanctam Mariam , & ad Sanctum Laurentium poſuit .*

Habes ergo ſingula Iuſtini ſenioris dona accurate deſcripta, quin ullam Crucem inter ea deprehendas. Quare ſi Iuſtinus ſenior Crucis noſtrae cimelium vel Hormiſdae tempore Romam miſiſſet, vel Conſtantinopoli tamquam in xenium Iohanni I. Summo Pontifici obtuliſſet , quomodo eam omiſiſſet Anaſtaſius , quem ceterum adeo ſedulum , & accuratum ſingulorum deſcriptorem inveniamus ? Ac dum haec urgemus, video tamen , quid in nos modo retorqueri poſſit argumentum. Cur ergo, dicet aliquis, Anaſtaſius in vitis Iohannis III., & Benedicti I., quibus Eccleſiam gubernantibus Iuſtinus iunior imperavit, nihil quidquam , quod de Crucis dono ſit, memoravit ? Primum illud repono, hoc argumentum eſſe dumtaxat negativum, quod nemo invictum dixerit; tum illud ſubdo, Anaſtaſium ita in vitis laudatorum Pontificum eſſe ieiunum, & brevem, ut nullum ſive Iuſtini iunioris, ſive alterius Principis donum referat ; cuius ſane rei ſi ratio petatur, non alia eſſe videtur , quam quod forte neceſſariis notionibus, ac monumentis, quae ad illorum Pontificum vitas pertinerent , caruerit , abundaverit vero iis, ex quibus ſuperiores vitas Hormiſdae , & Iohannis I. concinnavit, inter quae, cum minime Iuſtini ſenioris donum, quod Crucem referret , deprehenderit , ideo mirum eſſe

vitatem, per omnia exhibere? Miſſis igitur aliis, vel ex hoc ſolo teſtimonio patet Vicarii B. Petri nuncupationem , quae , ut diximus in citato libro *de Confeſſione Vaticana*, communi loquendi uſu diu obtinuit, hodie quoque, licet non adeo frequenter ut antea, inter ſolemnes Eccleſiae ritus perſeverare.

(*a*) Tom. I. num. 7.

non debeat; ſi altum in illis ceteroquin locupletibus vitarum commentariis de inſigni hac Cruce ſilentium exſiſtat.

Sed aliud eſt, quod nos inſuper in ſententia noſtra confirmet. Ex ſecundo nimirum verſu, qui inſculptus eſt anteriori Crucis parti, noſtram de Iuſtino iuniore coniecturam inſtauramus. Quod enim in eo dicatur

DAT ROMAE IVSTINVS OPEM ET SOCIA DECOREM

duos huius monumenti auctores, ac largitores nobis ſuadet, nimirum Iuſtinum, & coniugem, non eam quidem Euphemiam, aut Theodoram, ſed Sophiam Iuſtino iuniori thalamo, & throno coniunctam. Siquidem hiſtoria compertum eſt, feminam animo truculentam & elatam ſimul cum viro coronam imperii fuiſſe adſequutam, & cum eo rerum ſummam tenuiſſe; quod de aliis duabus haud ſcriptum invenimus. Notum inſuper eſt, a Romanis ante Iuſtinum, & Sophiam Narſetem pro Imperatore Italiam regentem accuſatum eſſe. *Idem Narſes* (ſcribit Adrevaldus (*a*),) *Patricius cum a Romanis apud Iuſtinum Aug., eiuſque coniugem Sophiam inſimularetur oppreſſionis provincialium*. Quod ſane patefacit, Sophiam etiam imperii participem cum Iuſtino fuiſſe. Accedit Corippus, qui eamdem non aliter carmine prodit, dum ait (*b*):

Alma Auguſta, tui conſors ſapientia regni;

& alibi (*c*):

Nec minus imperii gratum patrem inclita conſors
Flebat, & humanam ſortem pietate dolebat;

ac tandem inferius (*d*):

Ipſa etiam ſummi conſors caſtiſſima regni
Virginis, & matris templum ſublime petivit.

Quare nil mirum uxoris voluntati ſe conformaſſe Iuſtinum, ſi eadem res cum eo adminiſtrabat, nihilque erat, quod ipſa cognoſcere, ac definire coniuncta ſimul auctoritate, ac mente nollet. Zonaras quidem rem conficit, dum ita inſuper teſtatur (*e*): *Uxo-*

(*a*) *De miraculis Benedicti* cap. 5. Vid. inſuper Paullum Diaconum lib. II. cap. 5. Hiſt.

(*b*) Praefat. libror. *de laudibus Iuſtini iun.* v. 23. Romae 1777.

(*c*) Lib. I. *de laudib. Iuſtini iun.* v. 272.

(*d*) Lib. II. v. 47.

(*e*) Annal. lib. XIV. cap. 10. *de Iuſtino*.

Uxorem Sophiam Auguſtali corona ornavit (Iuſtinus) *eiuſque nomine portum Sophianum exſtruxit* , *&* *regiam ante urbem* ; *quam ipſam* , *vicinaque loca* , *eius gratia* , *Sophiana nominavit* . Neque viri obitu factum eſt , ut uxoris imperium ſtatim interciperetur ; quandoquidem inſidias in Tiberium Conſtantinum , a Iuſtino ſibi antè mortem ſucceſſorem deſignatum , moliri non dubitavit . Audiatur a Paullo Diacono hiſtoria (*a*) : *Sophia Auguſta immemor promiſſionis* , *quam quondam in Tiberium habuerat* , *inſidias ei tentavit ingerere* . *Procedente igitur eo ad villam* , *ut iuxta imperialem ritum triginta diebus ad vindemiam iocundaretur* (*b*) , *vocato clam Iuſtiniano* , *voluit eum in regno ſublimare* . Tanti igitur nobis teſtimonia haec omnia , & ex his petita argumenta viſa ſunt ponderis , ut vocem SOCIA non aliud innuere cenſuerimus , quam Sophiam ſimul cum Iuſtino imperantem , proindeque non alium Vaticanae Crucis auctorem , & donatorem ſtatuendum eſſe , quam Iuſtinum minorem . Sane exſtat & aliud ab hoc ipſo Auguſto profectum ligni Dominicae Crucis munus , quod ipſe Radegundi Reginae , uxori quondam Clotarii Regis Francorum, largitus eſt , de quo conſulatur Iacobus Gretſerius (*c*).

Quanta vero in Crucem , eiuſque lignum religione praeſtaret Iuſtinus noſter , ſatis ſuperque haec , quae innuimus , eiuſdem munera oſtendunt , tum etiam produnt , quae a Corippo de eo traduntur . A Crucis enim ſigno imperium auſpicatum fuiſſe Iuſtinum Poëta perſpicue refert (*d*) :

d 2 *Ipſe*

(*a*) Lib. III. cap. 12.

(*b*) In lib. I. *de caeremon. Aulae Byzant.* cap. 78. cui titulus *obſervanda in die vindemiae in proceſſione a palatio Hieriae* , deſcribuntur ritus feriarum vindemialium , quae ab Impp. CPolitanis in palatio Hieriae , ex adverſo CPolis in continente Aſiatica ora , celebrari ſolebant . Atque illuc seceſſus appellabatur *proceſſio Hieriae* . Memoratae feriae incidebant in menſem ſeptembris ante diem XIV. dicatum Exaltationi S. Crucis , uti patet ex indice Sermonum Catecheticorum Theodori Studitae , ſecundum Calendarium Graecum diſpoſitorum , quem vide apud Fabricium in Tom. XII. *Bibl. Gr.* pag. 283.

(*c*) *De Cruce Chriſti* , *rebuſque ad eam pertinentibus* lib. I. cap. 75. pag. 215. Ingolſtadii 1598.

(*d*) Lib. II. v. 175.

Ipſe coronatus ſolium conſcendit avitum,
Atque Crucis faciens ſignum venerabile, ſedit;
Erectaque manu, cuncto praeſente ſenatu,
Orans haec ait ore pio: ſuper omnia regnans
Regna Deus regnum nobis conceſſit avitum,
Et patrium diadema dedit . . . . . .

Huc etiam ſpectat, quod dum Circenſes ludos ederet, iiſque intereſſet, hoc ipſum Crucis ſignum minime praetermittendum duceret, id Corippo ipſo teſtante (*a*):

Egreditur cum luce ſua, frontemque ſerenam
Armavit ſancti faciens ſignacula ligni:
Utque ſalutato tetigit ſubſellio vulgo,
Auratum ſcandens ſolium, ſedemque paternam
Conſtructam plumis, pulchriſque tapetibus altam,
Aſpexit laetus populos, vultuque modeſto,
Circumfuſa videns plaudentum millia, riſit,
Cenſuram ſervans, & plebi gaudia donans.

Verum de his ſatis, cum alia nos maneant, quae inluſtratione egeant, quibuſque magis magiſque celebretur, & inclareſcat Crux Vaticana, illa Crux nempe, quae, ut ait S. Leo Magnus (*b*), eſt *omnium fons benedictionum, omnium eſt cauſſa gratiarum: per quam credentibus datur virtus de infirmitate, gloria de opprobrio, vita de morte.*

CAPUT IV.

Altera Crucis pars expenditur, ſive orbiculi, qui in quatuor brachiis proſtant.

Locus eſſet agendi de vitali ligno, quod in aureo orbiculo, medium anterioris partis Crucis tenente, omniumque inſignori, ſuperius etiam conditum monuimus. Aſt, ut ſerviamus ordini, quem nobis propoſuimus, quaedam nunc praemittenda duximus, quibus poſtica Crucis pars quoquo modo exponatur. Quare nunc primum agendum nobis erit de quatuor, qui latera ornant, orbiculis, qui acturi

(*a*) Ibid. v. 299.

(*b*) Serm. VIII. *de Paſſione Domini.*

ačturi dein ſimus Capite ſequenti de medio altero orbiculo, quo Cruciger Agnus continetur. Diximus iam fere ſimplici forma Crucem a Chriſtianis primum effingi conſueviſſe, dein gemmis ipſos diſtinxiſſe, ac tandem circa finem IV. ſaeculi, & poſterioribus etiam ſaeculis, variis inſuper imaginibus exornaſſe. Symbolica quidem, ceteraque ornamenta, quae primis Eccleſiae temporibus Cruci applicabantur, maximam praeſeferebant ſimplicitatem. Inter haec quidem primum locum tenuit corona, illa ſcilicet corona, quae Chriſtianis hominibus Dominicam Crucem portantibus annunciabat, atque pollicebatur aeternum illud praemium, quod poſt breviſſimum vitae curſum eſſent aſſecuturi. Prodit id Paullinus ſanctiſſimus Nolae Epiſcopus deſcribens Crucem, quam corona deſuper cinctam in ſua Baſilica pingendam curaverat (*a*):

Cerne coronatam Domini ſuper atria Chriſti
Stare Crucem, duro ſpondentem celſa labori
Praemia: tolle Crucem, qui vis auferre coronam (*b*).

At

(*a*) *Epiſt.* xxxiI., al. xiI. *ad Severum* pag. 203. Veronae 1736.

(*b*) Non raro in ſacris litteris *coronae* appellantur praemia vitae aeternae (*Iſai. cap.* 28. *v.* 5., 1. *ad Cor. cap.* 19. *v.* 2., *ad Timoth. cap.* 4. *Iacob epiſt. cap.* 1., *Petr. epiſt.* 1. *cap.* 5., *Apocal. cap.* 2.), tum Eccleſiaſticis Scriptoribus familiare etiam fuit *coronas* vocare ipſa Martyrum praemia. Hinc *coronae* vox adeo celebris apud Tertullianum *de corona*, apud S. Cyprianum in *Epiſt. Moyſi*, & *Maximo*, & apud Euſebium praeſertim in libro de Martyribus Palaeſtinae, tum etiam in veteribus, ac ſinceris Martyrum actis apud Ruinartium. Nec alio nomine, quam *coronae*, ſaepe martyrium ipſum deſignatum eſt, ut nil frequentius ſit quinetiam *martyrii corona*. Inter innumera teſtimonia oſtendiſſe ſit ſatis epiſtolam Eccleſiae Smyrnenſis de martyrio S. Polycarpi, & S. Hieronymum *lib.* 11. *epiſt.* 14., ut nunc mittamus, hinc Prudentium occaſionem ſumpſiſſe inſcribendi περὶ στεφάνων *de coronis* libros, & hymnos in Martyres, tum Honorium Romanum Pontificem Baſilicam in honorem quatuor Martyrum ſub titulo *Quatuor Coronatorum*, ut pariter in Sacramentario Gregoriano appellantur, hoc etiam nomine dedicaſſe. Non aliam etiam ob cauſſam Martyrum ſepulcris dono obferri conſueverant coronae ex pretioſis metallis, quae dein ante ipſa ſepulcra ſuſpendebantur; & qua ratione id fieret, diſcere licet ex Menologio Baſilii ad diem VI., & XXII. ianuarii. Etiam ad Confeſſorum tumulos eaedem coronae apponebantur, quibus innueretur, eoſdem honorum, qui Martyribus tribuebantur, factos fuiſſe patticipes, & de communibus

At imagines, quibus inſignitas Cruces a fidelibus novimus, nonniſi ſacra exprimebant, ut erat Agnus, Evangeliſtarum ſymbola, tum deinceps etiam eorumdem protomae, ceteraeque ſacras res exhibentes figurae. Eae vero ſive configi, ſive inſculpi ſolebant variis orbiculis diſpoſitae, nec aliter expreſſae in ſarcophagis, & picturis veterum Chriſtianorum occurrunt; quemadmodum etiam ſacris veſtibus opere phrygionico intexi, vel pingi conſueverunt ex Anaſtaſii Bibliothecarii fide; qui mos, & diutius obtinuit, cum nobis otio autumnali anni CIↃIↃCCLXXVI. una cum doctiſſimo Philippo Angelico Becchettio ex Ordine Praedicatorum, & Bibliothecae Caſanatenſi Praefecto illum videre contigerit in saeculi XIII. monumento plurimi aeſtimando, quod eſt pluviale ex opere phrygionico a Nicolao IV. Eccleſiae Cathedrali Aſculanae dono datum, in quo quidem cernere eſt imagines Pontificum ab ipſo Sancto Petro Apoſtolorum Principe ibidem capite obverſo crucifixo, funibuſque adligato, hiſce orbiculis concinne intextas. Hos vero orbiculos, ſive clypeos, quibus Sanctorum vultus continebantur, *ὀ ἀσπίδας ὀμφαλλόεοντας* Graeci vocabant, quod ex Paullo Silentiario eruditiſſimus Ancyranus Archiepiſcopus Iuſtus Fontaninius prodidit (*a*). *Scuta* vero quin etiam a Latinis dicti ſunt huiuſmodi orbiculi, ut apud Anaſtaſium Bibliothecarium ſaepius appellantur.

Hiſce igitur orbiculis, ſive clypeis, ſive ſcutis, qui poſticam Crucis partem tenent, quique laterales ſunt medio, quo Agnus includitur, Iuſtinus, & Sophia eius coniux habentur; altero vero, qui ſuperiori, & altero, qui inferiori parte eſt, Salvatoris iterata imago continetur, ſed non eodem plane modo, & ſtatu. Si de Iuſtini, & Sophiae imaginibus ſermo ſit, minime novum eſt, Crucium donatores ſuos ipſorum vultus una cum eorum nominibus in ipſis Crucibus inſculpi curaſſe. Liber Pontificalis Eccleſiae Ravennatis luculen-

bus hoſtibus triumphum tuliſſe. Commode S. Gregorius Turonenſis *lib.*1.*cap.*2., & Chronicum Caſinenſe *lib.* 11. *cap.* 3., 22., & 26. huiuſmodi coronarum mentionem habent, quae ante S. Martini ſepulcrum, & ante altare S. Benedicti ſuſpenſae erant.

(*a*) *Ad diſcum Peruſin. Diſſert.*

lentiſſimum nobis exemplum ſuppeditat, quod ad S. Agnellum Ravennae Archipiſcopum, qui circa finem ſaeculi VI. florebat, pertinet (*a*). Ibidem enim legitur: *Fecit beatiſſimus Agnellus Crucem magnam de argento in Urſiana Eccleſia* (*b*) *ſuper ſedem poſt tergum Pontificis, in qua ſua effigies manibus expanſis orat.* Diademata vero, quibus Auguſtorum noſtrorum capita ornantur, non eadem ratione conformata ſunt, ut accurate inſpicienti patebit. Auguſtarum enim mulierum diademata diverſa ab Auguſtorum diadematibus eſſe deprehenduntur, quod heic nunc etiam obſervandum venit, & in numiſmatibus frequentius occurrit. Quod ergo Iuſtini capiti ſuperimponitur ad duo illa diadematum genera referri poteſt, quae eius aevo obtinebant apud Orientales Imperatores, & quorum alterum, quod a Conſtantino Magno primum invectum, ſive primum ab eo pretioſis lapillis inſignitum, ſive a deſuetudine revocatum contendunt, ita a Polemio Sylvio in Laterculo deſcribitur (*c*): *Conſtantinus ſenior, qui Chriſtianae Religionis miniſtros privilegiis communivit, diademata capiti ſuo, propter refluentes de fronte capillos* [*pro qua re ſaepius eiuſdem cognominis ordinata confectio eſt*], *quo conſtringerentur, invenit, cuius more hodie cuſtoditur.* Du-Cangius (*d*) vero addit huiuſmodi diademata *calyptrae ſpeciem praeferre, qua totum caput ambitur, vel caſſidis apice, quem τȣ̃φαν vocabant, decoratae.* Alterum vero diadema a Iuſtiniano Iuſtini ſenioris immediato ſucceſſore adhibitum eſt, & καμηλαύκιον *camelaucium* audiebat, gemmis inſuper ornatum, quod Narſes Totilae Gothorum Regi rapuit, & ad Iuſtinianum miſit (*e*), ut hinc huiuſmodi capitis ornamentum a Georgio Codino (*f*), & a Procopio (*g*) Ἰȣςινιάνειον *Iuſtinianeum* appellatum fuerit. Quod in noſtro igitur monumento cernitur diadema Iuſtini ſenioris ca-

(*a*) Agnell. in *vita S. Agnelli* cap. 3.

(*b*) Urſiniana aedes a S. Urſo conditore dicta eſt Eccleſia Ravennatium princeps, *Sancta Anaſtaſia* etiam appellata, propterea quod Chriſto reſurgenti dedicata ſit.

(*c*) Tom. 1. Ianuar. *Act. SS. Bolland.* in Praefat.

(*d*) Diſſert. *de infer. aevi Numiſmat.* num. 17.

(*e*) Theophanes *in Chronographia* pag. 195.

(*f*) *De Off. CPolit.* cap. 6. n. 36. pag. 81. Pariſiis 1648.

(*g*) *In Anecdotis.*

capiti impoſitum, ad alterum genus, ad *camelaucium* ſcilicet, quod modo expoſuimus, referendum videtur, in cuius medio nimirum, quod fronti imminet, trium foliorum, ſive criſtarum ornamentum ineſſe deprehenditur. Poſtremum hoc foliorum, ſeu criſtarum, quae tamen ſeptenario numero ſunt, ornamentum habetur etiam in Sophiae Aug. diademate, quod unionibus diſtinctum eſt, & a cuius latere utroque pendent ante pectus duae unionum lineae, quae πρεπενδούλιων *praependulium* nomine a Conſtantino Porphyrogenita (*a*) deſignantur, ubi ea, quae obſervanda ſint in *Auguſtae coronatione*, & *nuptiis* exponit. Diadema hoc fere modo conformatum occurrit etiam in Diptycho Pariſienſi apud cl. Gorium (*b*), in quo ſcilicet Auguſtam ſaeculi VI. exhiberi evincitur. Ceterum eruditos non latet quanta in huiuſmodi coronis varietas adnotetur in nummis Impp., aliiſque veteribus monumentis, quotque diverſis ornamentorum generibus elaboratae fuerint. Quibus igitur plura de Imperatorum coronis, ſive diadematibus noſcere lubet, adire praeſtabit Martini Chmeizelli opus *de Corona*, ubi rem pro dignitate pertractat.

Sed ad veſtes nunc procedendum. In Iuſtini imagine *trabea* (*c*) gemmis intexta conſpicienda venit, quod veſtimenti genus a Graecis Impp., uſque ad CPolitiani Imperii exitum retentum eſt, immo etiam ad Occidentales Impp. tranſmiſſum etiam novimus, quod videre eſt in Codice Auguſtano Friderici II., de quo agit Du-Cangius (*d*), qui etiam animadvertit illud inſuper ipſum, vel conſimile veſtimentum a Conſularibus feminis fuiſſe uſurpatum. Tandem illud attendere operae pretium eſt, non modo Iuſtini, ſed etiam Sophiae geſtum orantium more compoſitum eſſe, qui nempe in eo eſſe conſueverat tum apud veteres Chriſtianos, tum apud omnes fere nationes, ut manibus paſſis, & elevatis orantes adeſſent. Prodit id etiam Tertullianus (*e*): *Nos vero non attollimus tantum*,

(*a*) *De caeremon. Aulae Byzant.* lib. I. cap. 41. Lipſiae 1751.

(*b*) *Theſaur. veter. Diptychor.* Tom. II. pag. 267. & ſeqq. Florent. 1759.

(*c*) Vid. Du-Cang. *Diſſert. de infer. aevi Numiſm.* num. 5. 6., & 7.

(*d*) Cit. Diſſert. num. 8.

(*e*) *De Orat. cap.* 11. Vid. inſuper *cap.* 13., & *in Apologet. cap.* 29., tum Euſeb. *in vit. Conſtant. lib. IV. cap.* 15., & Prudent. *in Hymn. de SS. Martyr. Fructuoſo &c. v.* 103.

tum, *ſed etiam expandimus e Dominica paſſione modulatum*, *&* *orantes confitemur Chriſto*. Quare hinc eruere licet, quid hoc geſtu exprimerent, vel meditarentur veteres Chriſtiani, Crucem nempe, & paſſionem Domini noſtri Ieſu Chriſti. Verum hic orandi mos frigeſcente pietate paullatim in deſuetudinem abire coepit; ac prima quidem deſuetudinis initia petere licet a matronarum mollitie, quae levis huius incommodi pertaeſae famulos adhibere conſueverant, qui earum brachia ſuſtentarent, quod nobis ſatis oſtendunt nonnullae picturae veteres e coemeteriis erutae, quae ab Arringio (*a*) adducuntur. Quare hic orandi modus relictus ſolummodo nunc eſt ſacrificantibus Sacerdotibus, dum ſacras orationes recitant in Euchariſtiae celebratione. Sed ad duos reliquos orbiculos progredimur.

In hiſce igitur orbiculis expreſſus proſtat mundi Salvator Chriſtus Ieſus, utrobique barbatus, ſed in primo orbiculo dextera aperta, ſi digitum tantum minimum flexum, & occultum excipias, benedicens, & ſiniſtra librum clauſum gerens, in altero vero dextera volumen, crucem ſiniſtra habens. Utrumque iteratae huius imaginis caput eo circulo cingitur, quod vulgo *diadema* appellatur, ſed quod ab aliquibus ex veteribus *nimbus*, ab aliis *lumen*, a Graecis vero *μηνίσκον* dicebatur: quandoquidem & ab Ariſtophane memoratur (*b*), cum id genus ornamenti apud Gentiles etiam in uſu eſſet, qui eo nimirum ſuorum Numinum capita redimibant. Nec verebantur hoc ipſum ornamentnm in capita ſua derivare Imperatores, cum eo diſtincti occurrant in numiſmatibus (*c*). Verum diadema, quod in noſtro monumento habetur, cruciformi ſectione diſtinguitur, quod etiam obvium eſt in ſacris monumentis, & in muſivis, quae ſunt in Romanis Baſilicis. Huiuſmodi vero diadema non convenit cum ceteris, quibus Sanctorum capita circumdantur, quod & Durandus obſervavit (*d*): *Chriſti corona* [inquit] *per crucis formam*

e. *a San-*

(*a*) *Roma ſubterran.* Tom. II. lib. IV. cap. 14., & cap. 18.

(*b*) *In Avib.* v. 1114.

(*c*) Bandur, Tom. II. *Num. Imper.* pag. 496., 619., & 621.

(*d*) *Rat. divin. offic.* lib. I. cap. 3. num. 20.

a Sanctorum coronis diſtinguitur. Aſt vero in vetuſtioribus memoriis vel raro, vel fere numquam Chriſtus Ieſus, Apoſtoli, vel quilibet alius Sanctus diademate ornatus conſpicitur. Commode id obſervare licet in ſerie XLII. primorum Romanae Eccleſiae Pontificum, quae vetuſtiſſima pictura expreſſa eſt in Baſilica Oſtienſi Sancti Paulli, cum nullus in ea adſit Pontifex, quem ornet diadema, etſi inter eos cenſeantur plures, quos iam arae honoribus Eccleſia dignos fecerat. Nihil vero, quod operae pretium ſit animadvertere, expendendum nunc putamus circa modum, quo in orbiculo ſuperiori Salvator manum, qua benedicit, compoſitam habet. Scilicet primis Eccleſiae ſaeculis quaecumque digitorum conformatio incerta, & varia ſemper fuit tum apud Graecos, tum apud Latinos, cum utroque ritu benedictionis actus, quocumque magis lubebat geſtu, indiſcriminatim abſolutus, & expreſſus comperiatur in ſacris monumentis, ut apud Du-Cangium (*a*), Ciampinium (*b*), Gorium (*c*), aliosque cernere eſt. Quare de hac re examen ſtatim abſolvemus, cum praeſertim alibi (*d*) monuerimus, hodiernum Graecorum ritum in benedicendo ſervatum diutius etiam apud Latinos obtinuiſſe, qui nimirum ſaepe in Latinis monumentis occurrat; quod quidem Romani Pontifices numquam fieri annuiſſent, niſi penes Romanam Eccleſiam huiuſmodi ritus receptus fuiſſet. Ceterum apud nos lapſu temporis obſolevit, ut nunc ſolos Graecos habeat, qui illum cum pleriſque veteribus moribus, quorum ſunt tenaciſſimi, ſartum tectum ſervaverint.

Liber vero, ſive volumen, quod utraque Chriſti imago habet, novum legis gratiae ab eo latae codicem praeſefert; illudque inſuper oſtendit, quod & aliunde manifeſtum, non ſolum in circumvolutis voluminibus, verum etiam in chartis ſimul compactis, ut nunc mos eſt, opera, & lucubrationes ſuas veteres olim exaraſſe. Codex ſane antiquiſſimus Virgilianus Vaticanae, & Mediceae Bibliothecae, tum ceteri codices ſuperiorum aetatum, niſi alia monumenta adeſſent, quae & plu-

(*a*) Diſſert. *de infer. aevi Numiſm.* Tab. VIII.

(*b*) *Veter. Monum. paſſim*.

(*c*) *Theſaur. Diptychor.* Tom. III. pag. 120.

(*d*) *Vatican. Confeſſ.* pag. 68.

plurima ſunt, ex quibus utraque librorum conformatio oſtendatur, id citra omne dubium evincere poſſent (*a*).

Poſtremo tandem Salvator ſiniſtra triumphum Crucis (*b*) tenens id nobis perſpicue ingerit, quod per Matthaeum dixit (*c*): *Qui non accipit Crucem ſuam, & ſequitur me, non eſt me dignus*; tum id, quod per Lucam monuit (*d*): *Si quis vult*

e 2 *poſt*

(*a*) De veterum librorum figura apud Hebraeos, Graecos, & Romanos; deque eorumdem ornamentis, in primis de vera διαγνώσει vocum *Voluminis*, atque *Codicis*, & de verbis πτύσσω, & *plico*, conſulatur doctiſs. Iacobus Martorellius, amicus noſter dum vixit vere cariſſimus, qui in Opere, quod inſcripſit *de regia theca calamaria* lib. 1. pag. 226., & ſeqq. ſatis docte, & erudite argumentum pertractavit, contenditque demonſtrare antiquos libros omnes forma quadrangulares fuiſſe.

(*b*) Inter cetera Crucis encomia illud eſt, quo *triumphus Crucis* dicta eſt. S. Ambroſius in oratione de obitu Theodoſii ſenioris Auguſti (Tom. v. *Opp.* Lutetiae Pariſior. 1671. pag. 123.): *Venit ergo Helena*, inquit, *ut lignum Crucis requireret: acceſſit ad Golgotham, & ait: ecce locus pugnae, ubi eſt victoria? Quaero vexillum ſalutis, & non invenio. Ego, inquit, in regnis, & Crux Domini in pulvere? Ego in aulis, & in ruinis Chriſti triumphus? Quomodo me redemptam arbitror, ſi redemptio ipſa non cernitur?* In Actis SS. Petri, & Marcellini, quae ſunt ſaeculi v., quaeque a Bollandio ad diem 11. Iunii referuntur, hoc ipſum occurrit, cum ibi legatur: *Adeſt homo Dei Petrus Arthemio, & Candidae, indutus veſtibus candidis, habens in manu ſua triumphum Crucis*; nempe Crucem ipſam, qua Chriſtus de Daemone triumphavit, vel HUMANVM SVBDIDIT HOSTEM, ut eſt in Cruce Vaticana, vel *cum ultimo hoſte morte praeliatus per trophaeum Crucis triumphavit*, ut ait Tertullianus *adverſus Marcion. lib. IV.* Haec locutionis forma petita eſt a Paulli epiſtola ad Coloſſenſ. *cap.* 11. *v.* 15., in qua nimirum legitur: *Et expolians principatus, & poteſtates, traduxit confidenter, palam triumphans illos in ſemetipſo*; quod poſtremum in Graeco textu dicitur θριαμβεύσας αὐτοὺς ἐν αὐτῷ (σταυρῷ), *triumphans eos in ipſa*, nempe Cruce, quam ſuperius memoraverat. Hinc ergo prodidit *triumphus Crucis*, atque hinc denuo *Crux triumphalis* proceſſit, cuius exempla adducit Du-Cangius in *Gloſs.* Aſt huiuſmodi locutionibus occaſionem etiam praebuerunt celebres a Conſtantino M. reportatae victoriae. *Certe* [ut ſcribit Euſebius lib. II. cap. 7. de vita Conſtantini] *ubicumque hoc ſignum conſpectum fuerit, continuo fuga hoſtium, victoribus terga illorum prementibus, ſequatur. Quo Imperator comperto, ſicubi agmen aliquod exercitus ſui premi animadverteret, illico ſalutare tropaeum tamquam efficaciſſimum quoddam ad parandam victoriam amuletum inferri iubebat. Quo facto, ſtatim victoria ſequebatur; divina utique virtute animos, vireſque pugnantium confirmante.*

(*c*) Cap. x. v. 36.

(*d*) Cap. IX. v. 23.

poſt me venire, *abneget ſemetipſum*, *& tollat Crucem ſuam quotidie*, *& ſequatur me*; & id tandem, quod iterum ait per eumdem (*a*): *Qui non baiulat Crucem ſuam*, *& venit poſt me*, *non poteſt meus eſſe diſcipulus*.

CAPUT V.

Agnus in medio poſticae partis Crucis Vaticanae orbiculo expreſſus expenditur.

NIhil in ſacris monumentis vel ab ipſis naſcentis Eccleſiae principiis ſymbolica mitiſſimi Agni figura frequentius, qua Ieſum Chriſtum repraeſentari nemo non novit. Ratio huius ſymboli veteri, & novo Teſtamento, tamquam firmiſſimo fundamento innititur. Praedixerat nempe Iſaias his verbis (*b*): *Emitte Agnum tuum dominatorem terrae*, *de petra deſerti ad montem filiae Sion*. Tum alibi (*c*): *Sicut ovis ad occiſionem ducetur*, *& quaſi Agnus coram tondente ſe obmuteſcet*, *& non aperiet os ſuum*. Ovis vero, & Agni figura in mox allato Iſaiae teſtimonio non alium, quam Chriſtum Ieſum Dominum noſtrum praeſeferri, Philippus Apoſtolus docuit Eunuchum Reginae Candacis (*d*). Hunc Agnum Praecurſor Iohannes Baptiſta indigitavit dicens (*e*): *Ecce Agnus Dei*, *ecce qui tollit peccatum mundi*. Tum hic ipſe viſus eſt a Iohanne Apoſtolo, & Evangeliſta in eius Apocalypſi (*f*): *Et vidi*, *& ecce in medio throni*, *& quatuor animalium*, *& in medio ſeniorum Agnum ſtantem tamquam occiſum* ...., *& cum aperuiſſet librum*, *quatuor animalia*, *& viginti quatuor ſeniores ceciderunt coram Agno*. Tandem huius Agni ſanguine nos fuiſſe redemptos a peccati ſervitute & Petrus Apoſtolorum Princeps (*g*), & Paullus Doctor gentium (*h*) affirmarunt. Primus enim ait: *Scientes*, *quod non corruptibilibus auro*, *vel argento redempti eſtis de vana veſtra converſatione paternae traditionis*;

(*a*) Cap. XIV. v. 27.
(*b*) Cap. XVI. v. 1.
(*c*) Cap. LIII. v. 7.
(*d*) *Act. Apoſtol.* cap. VIII. v. 37.
(*e*) Iohan. cap. I. v. 29.
(*f*) Cap. II. v. 6.
(*g*) Epiſt. I. cap. I. v. 18. & 19.
(*h*) I. ad Corinth. cap. V. v. 7.

ditionis ; *ſed pretioſo ſanguine quaſi Agni immaculati Chriſti*, *& incontaminati* . Alter vero ſic inquit : *Etenim Paſcha noſtrum immolatus eſt Chriſtus* .

Hiſce igitur divinis de Agno teſtimoniis dum Eccleſiae Patribus adludere ſolemne erat, qui hoc ipſo Agni vocabulo mundi Redemptorem deſignabant, eodem tempore Chriſtiani picturis, ſculpturis, & muſivis paſſim ipſum exprimebant. Idque tot modis peragebant, ut plures Chriſti operationes ipſi tribuere non dubitarent; ſiquidem eumdem exhibebant tamquam Lazarum reſuſcitantem a mortuis, multiplicantem panes in deſerto, baptizatum in Iordano, mare Rubrum tranantem, ut in Iunii Baſſi Vaticano ſarcophago (*a*); iacentem mortuum ſuper aram, ut in patena argentea Forocornelienſi ob aſſertum ſanctiſſimi Ravennatis Antiſtitis Petri Chryſologi uſum percelebri, hiſceque inſcripta verſibus (*b*):

QVEM PLEBS TVNC CARA CRVCIS AGNVS FIXIT IN ARA
HOSTIA FIT GENTIS PRIMI PRO LABE PARENTIS ;

ad Crucis pedem ſtantem, ſanguinem e pectore effundentem in calicem, & ex iſto in proximum rivum diffluentem, ex ipſis pedibus ſanguinem inſuper emittentem, ex quo quatuor flumina per montem decurrentia efformantur, ut in Vaticano muſivo iam everſo (*c*), paſſim vero Crucem baiulan-

(*a*) Aringh. *Rom. ſubter.* Tom.I. lib.II. cap.10. pag.275., Bottar. *Roma ſubterr.* Tom.I. Tab.XV. p.46., & Dionyſ. *Sacrar. Vatican. Baſilicae Cryptar. monum.* Tab.LXXXI. pag.206. & ſeqq.

(*b*) *Patenae argenteae myſticae &c. deſcriptio , & explicatio &c. auctore Ioh. Paſtritio &c. Romae* 1706., tum *de Patena argentea Forocornelienſi Diſſert. Sebaſtiani Paullii. Neapoli* 1745. Vid. ectypum apud eoſdem, & in *Actis eruditor. Lipſ. menſ. Iul. an.* 1707. pag.300.

(*c*) Apud Ciampinium *de ſacris aedificiis a Conſt. M. conſtruct.* cap.IV. pag.45. Tab.XIII., & accuratius apud Auguſtinum Mariottium ſacrorum monumentorum ſtudioſiſſimum in Praefat. ad Aurelii Brandolinii *de Chriſti Paſſione* Orationem vulgari lingua donatam Romae 1767. pag.9. & ſeqq. Vide inſuper apud Marangoniun *Act. S. Victorini Epiſcopi Amiterni & Mart.* pag.43. inſigne marmoreum monumentum erutum e Coemeterio Priſcillae, & modo adſervatum Anagniae in Eccleſia SS. Coſmae, & Damiani, in quo inter alia cernitur in monte Agnus cum nimbo, cui ſupereminet parvula Crux, atque ex monte ſub Agno quatuor flumina ſcatere indicantur.

baiulantem, ut in noſtro Iuſtini Imp. cimelio, ubi dextero pede ſuſtentat Crucem ſiniſtro lateri incumbentem, vel crucigerum nimbum cingentem, qui in noſtro ſimplex tantum deprehenditur, ac tandem Chriſti monogrammate ☧ ſic conformato in fronte conſignatum (*a*). Neque id rarum quinetiam Agnum ipſo Crucis ſigno in fronte exornari. Aiunt ſiquidem Apocalypſis commentatores, Agnum, quem vidit Iohannes (*b*) *habentem ſignum Dei vivi*, non aliter obſignaſſe electos, quam Crucis ſigno. Nec aliter etiam apud Ezechielem (*c*) a Deo praeceptum eſſe novimus, ut ſignarentur frontes eorum, qui propter abominationes in Hieruſalem plorabant, & angebantur: *Signa TAU ſuper frontes virorum gementium, & dolentium*. Haec enim Graecorum littera Τ non aliter, ac apud ipſos Latinos compingitur, ideſt ad eam Crucis formam, quae a Lipſio (*d*) COMMISSA appellatur (*e*). Quare hunc Ezechielis locum exponens Tertullianus (*f*), ſic ait: *Ipſa enim littera Graecorum TAU, noſtra autem* T *ſpecies Crucis, quam portendebat futuram in frontibus noſtris*. Tertulliano vero etiam adhaerent alii Eccleſiae Patres (*g*), ex quibus citra omnem dubitationem evincatur, non aliud, quam

(*a*) Neque negotium faceſſat, aut incongruum videatur Agni, quem Chriſti ſymbolum diximus, fronti inſcribi eiuſdem Chriſti monogramma; quandoquidem & apud Boldettium (*Oſſerv. Cimit.* pag. 61.) effigies cernitur ebore inſculpta, & in Calliſti Coemeterio detecta, quae etſi Salvatorem praeferat, hoc tamen ſigno in fronte inſignitur.

(*b*) Cap. VII. v. 2.

(*c*) Cap. IX. v. 4.

(*d*) *De Cruce* lib. I. cap. 8.

(*e*) Erat alia Crux, quae IMMISSA vocabatur, videlicet quum ligno erecto tranſverſum iniungebatur, ita ut ipſum ſecaret. Utri Chriſtus affixus fuerit incertum; quamquam Lipſius lib. I. cap. 10., & Gretſerius lib. I. cap. 3., decus hoc *Immiſſae* Cruci contigiſſe contendant. Vid. Muratorium Tom. I. *Anecdotor.* Diſſert. 21. *de Cruce Nolana*. Vetera monumenta referunt Crucem *Immiſſam*, nec carent *Commiſſa*, ut videre eſt apud Boldettium in *Obſerv. ad Coemet. Urbis*, & praeſertim Par. I. lib. I. cap. 19., ubi Crux *Commiſſa* cum monogrammate ſociatur in epitaphio Aurelii Alexandri Valentiniano III., & Valente III. Coſs. anno Chriſti 370. Non pertinent ad quaeſtionem Cruces *Decuſſata*, & *Anſata*, de quibus, ſi lubet, vide Lipſium, Gretſerium, Boſium, Macrium *in Hierolexico*, alioſque.

(*f*) Adverſ. Marc. lib. III. c. 22.

(*g*) S. Cyprianus *Teſtim. adv. Iud.* lib. II. cap. 22., item *ad Demetrian.*, & Clem. Alexand. *Strom.* lib. VI.

quam Crucem fuiſſe ſignum fronti *virorum gementium*, *& dolentium* laudati Prophetae impoſitum. Ceterum etſi littera TAU in Hebraico Alphabeto haud Crucis formam nunc praeſeferat, certum tamen eſt hac forma ante Eſdrae tempora donatam fuiſſe, quod ex Samaritanis numiſmatibus, & ex S. Hieronymo colligere facile licet. Ait enim (*a*): *Antiquis Hebraeorum litteris, quibus uſque hodie utuntur Samaritani; extrema TAU littera Crucis habet ſimilitudinem, quae in Chriſtianorum frontibus pingitur* (*b*).

Etſi vero non omnia ſymbola, & ornamenta, quibus apud Latinos Ieſus Chriſtus, & eius Crux praeſeferri, aut exprimi conſueverat, etiam apud Graecos in Orientali Eccleſia obtinuerint; non id tamen de Agno dici poteſt, qui apud utramque gentem receptus fuerit. Id enim & antiqua monu-

(*a*) Ad cap. IX. Ezechiel.

(*b*) Ex hiſce Hieronymi verbis intelligimus, veteres Chriſtianos Crucis ſignum in ſuis ipſorum frontibus pingere conſueviſſe. De huiuſmodi more duos alios afferam teſtes; ſit primus Chryſoſtomus, qui in lib. *Quod Chriſtus ſit Deus* contra Iudaeos, & Gentiles haec habet (Tom. I. Opp. pag. 571. Pariſiis 1718.) „ Quod omnes „ olim exhorreſcebant, eius nunc „ figura ita certatim exquiritur „ ab omnibus, ut ubique reperia- „ tur, apud principes, & ſubdi- „ tos, apud mulieres, & viros, „ apud virgines, & nuptas, apud „ ſervos, & liberos: nam illud „ omnes ſignum frequenter impri- „ munt in membrorum nobiliori „ parte: & in fronte ceu in co- „ lumna figuratum quotidie cir- „ cumferunt. Hoc in ſacra menſa, „ hoc in Sacerdotum ordinationi- „ bus, hoc rurſum cum Corpore „ Chriſti in myſtica coena reful- „ get. Hoc ubique celebratum „ videre eſt, in domibus, in foro, „ in deſertis, in viis, in montibus, „ in ſaltibus, in collibus, in mari, „ in navibus, in inſulis, in lectis, „ in veſtimentis, in armis, in tha- „ lamis, in conviviis, in vaſis ar- „ genteis, & aureis, in margari- „ tis, in parietum picturis, in cor- „ poribus brutorum male affectis, „ in corporibus a daemone obſeſ- „ ſis, in bellis, in pace, in diebus, „ in noctibus, in choreis tripu- „ diantium, in ſodalitiis ſeſe ma- „ cerantium; adeo certatim do- „ num hoc mirabile, eiuſque ineffabilem gratiam omnes perqui- „ runt „. Aſterius Amaſenus Epiſcopus *in S. Euphemiam M.* (To. VIII. *Concil.* Labb. p. 859) alter eſt, qui de eodem more teſtatur his verbis: „ Virgo venerabilis in furvis „ veſtibus ... invocans Deum pro- „ curatorem inter atrocia. Cui „ oranti apparet ſuper caput ſi- „ gnum, quod nunc lex eſt Chri- „ ſtianis adorare, atque praeſcri- „ bere „.

monumenta probant, & Chriſtiani Lupii teſtimonium (*a*) aſſerit, tum demum Vaticana Crux confirmat. Sed praeſtat audire laudatum Scriptorem hoc modo loquentem: *Videmus Chriſtum Dominum noſtrum non dumtaxat in adſumpti hominis, ſed & in legalis Agni forma fuiſſe paſſim etiam in Graecorum Eccleſiis effigiatum*. Inſuper adducit laudatus Auctor effatum Claudii Epiſcopi Taurinenſis, Arii, & Neſtorii erroribus imbuti, qui vixit IX. Chriſti ſaeculo, & maxime Iconomachiam in Occidente promovit, qui proinde a Iona Epiſcopo Aurelianenſe, a Dungalo, & ab aliis impugnatus eſt. *Iſti* (ut ipſe nimirum adverſus Latinos blaterabat) *perverſorum dogmatum auctores agnos vivos volunt vorare, & in pariete pictos adorare*. Forte oppugnationi adverſus Agni formam occaſionem praebuit prava interpretatio Canonis LXXXII. Concilii Trullani, ſive Quiniſexti, quod anno IↃCXCII. celebratum eſt; quo nimirum prohiberi videretur, quominus Chriſtus ſub Agni figura exprimeretur. Aſt licet Concilium hoc, ut Eccleſiaſticorum Annalium parens Baronius (*b*), aliique oſtenderunt, minime a Catholica Eccleſia receptum, & approbatum fuerit, tamen in eo Canone nihil continetur, quod iuſta cenſurae nota inuratur. Compertum quidem eſt, veteres Chriſtianos a Ieſu Chriſto crucifixo picturis exprimendo refugiſſe, ne proſelytos alienarent, quibus crucifixio infamis necis ideam praebebat, eratque offendiculo. Quare huc redeunt, quae Apoſtolus Paullus (*c*) aiebat: *Praedicamus Chriſtum crucifixum, Iudaeis quidem ſcandalum, gentibus autem ſtultitiam*. Hinc factum eſt, ut vel ſolam ubique Crucem oſtenderent, vel ad eius imum ſtatuerent Agnum, quem ita eleganter Paullinus (*d*) deſcribit:

Sub Cruce ſanguinea niveo ſtat Chriſtus in Agno,
Agnus ut innocua iniuſto datus hoſtia leto.

At hiſce in verſibus morem advertere praeſtat, qui peculiaris Occidentalibus (*e*) fuit, quique in eo erat, ut minio Crux

(*a*) *Synodor. gener., & provinc. Decr., & Can.* ad can. 82. Conc. Trull.
(*b*) Ad an. 692. n. 1., & ſeqq.
(*c*) I. ad Corinth. cap. 2. v. 3.
(*d*) Epiſt. XXXII. al. XII. *ad Sever.*
(*e*) Vid. Ioſeph. Scaliger. apud Du-Cang. Diſſert. *de infer. aevi Numiſm.* pag. 153.

Crux tingeretur , vel alio purpureo colore , quo ſanguis a Divino Agno pro nobis effuſus deſignaretur . Sed Conſtantini ad Chriſtianorum ſacra converſio cum pacem Eccleſiae attulerit, & ad nihilum fere redegerit in urbibus infidelium numerum , cumque Ieſus Chriſtus ſub Agni forma palam exhiberi inceperit in ſingulis urbibus , quae Chriſtianam deinde fidem ſuſceperunt (quod ſane non amplius prudentiae, & cautionis leges poſtulare videbantur , ſublatis etiam perſecutionibus , & ſcandalo ceſſante) ; hinc factum fuit , ut Trullana Synodus licet huiuſmodi ſymbola non improbaverit , tamen , utpote quae non amplius neceſſaria eſſent, mandaverit , ut perſpicue omnia, quae ad fidem erant, proponerentur , & agerentur . Colligere ſane id poſſumus quam facillime ex ipſius Synodi verbis (*a*) : *In nonnullis venerabilium imaginum picturis , Agnus, qui digito Praecurſoris monſtratur , depingitur, qui ad gratiae figuram aſſumptus eſt , verum nobis Agnum per legem Chriſtum Deum noſtrum praemonſtrans . Antiquas ergo figuras , & umbras , ut veritatis ſigna & characteres Eccleſiae traditos , amplectentes , gratiam , & veritatem praeponimus , eam ut legis implementum ſuſcipientes . Ut ergo quod perfectum eſt , vel colorum expreſſionibus omnium oculis ſubiiciatur , eius qui tollit peccata mundi , Chriſti Dei noſtri humana forma characterem etiam in imaginibus deinceps pro veteri Agno erigi ac depingi iubemus : ut per ipſum Dei Verbi humiliationis celſitudinem mente comprehendentes , ad memoriam quoque eius in carne converſationis , eiuſque paſſionis , & ſalutaris mortis deducamur , eiuſque quae ex eo facta eſt mundo redemptionis .*

Rem vero ita ſe habere , intelligere etiam licet ex Hadriani I. R. P. epiſtola ad Taraſium Conſtantinopolitanum (*b*), in qua haec leguntur : *Eaſdem ſanctas ſex Synodos ſuſcipio cum omnibus regulis , quae iure ac divinitus ab ipſis promulgatae ſunt . Inter quas continetur ; in quibuſdam venerabilium imaginum picturis Agnus digito Praecurſoris exaratus oſtenditur , qui in figuram praeteriit gratiae , verum nobis per legem praeoſtendens*

f *Agnum*

(*a*) Labbeus Tom. VII. *Concil.* can. 82. Concil. Quiniſext. p. 1383. edit. Venetae 1729.

(*b*) Labbeus To. VIII. *Concil.* ad calcem Act. II. Synodi Nicaenae II. pag. 767.

Agnum Chriſtum Dominum noſtrum. Ergo veteres figuras, & umbras, ut veritatis indicia, & praeſagia, Eccleſiae traditas amplectentes, gratiam praeferimus, & veritatem, hanc ut plenitudinem legis ſuſcipientes. Ut ergo perfectio etiam per colorum operationes in cunctorum vultibus depingatur Agni Chriſti Dei noſtri, qui tulit peccatum mundi, ſecundum humanitatem characterem, & imaginem hominis, pro veteri Agno depingi definimus, per ipſum Dei Verbi humilitatis celſitudinem conſiderantes, & ad memoriam in carne converſationis, tam ſcilicet paſſionem eius, quam ſalutarem mortem, atque redemptionem, quae hinc eſt mundo effecta, manu quodammodo reducentes. Hoc teſtimonio orthodoxae fidei, malignorum curioſitatem, & haereticorum garrulitatem veſtrum repulit fraternum ſacerdotium, quemadmodum & eorum maligna ſollicitudo non eſt a nobis neque a gratia divina recepta, ſed inſtabilis in huiuſmodi reputata.

Ab hiſce temporibus ergo uſus invaluit frequentius ipſum mundi Salvatorem Chriſtum Ieſum in Cruce exprimendi. Huc ſpectant dona huiuſmodi Chriſti crucifixi imaginum, quae a Leone III. in Baſilicas Vaticanam, & Oſtienſem conlata ſunt (*a*). Harum imaginum exemplaria, quae primis Eccleſiae ſaeculis prodierunt, ad nos minime pervenerunt; licet inveriſimile non ſit privatam primorum fidelium pietatem haud ſegnem fuiſſe in parandis illius Chriſti, quem Apoſtoli, & Diſcipuli praedicaverant crucifixum, imaginibus, a quibus occulte veneratis nec perſecutiones, nec ſcandala, nec ſtultitiae notam (quae ſuperius ex Apoſtolo Paullo memoravimus) pertimeſcere poterant. Ceterum pro certo haberi debet ad publicum harum Chriſti crucifixi imaginum uſum nonniſi per gradus proceſſum fuiſſe, ut in omnibus fere rebus contingere ſolet. Primum enim Crux ſola exhibita eſt, dein Agnus ad imum Crucis, vel in eius medio conſtitutus, tum & Agnus, & Salvatoris protome in Cruce expreſſa, ut in hac noſtra, quam inluſtramus, vel ſola, quam diximus, protome, ſed in vertice Crucis, ut in muſivo opere Eccleſiae S. Stephani in Monte Caelio ad ann. IↃCXLII. ſpectan-

(*a*) Anaſtaſ. *in vit. Leon. III.* Tom. I. n. 39., 48., & 97.

ſtante (*a*); vel in Crucis medio, ut in Cruce vermiculata Ravennatenſi, quae in fronte Commentarii noſtri conſpicitur; poſtea integra eiuſdem Salvatoris imago tunica, & pallio amicta in Cruce conlocata, at non clavis ſuſpenſa, ſed elevatis ad caelum orantium ritu manibus, ut in Cruce a Ioh. Bapt. Caſalio ſacrorum, profanorumque monumentorum inluſtratore egregio adducta (*b*); ac tandem circa ſaeculum VII. Salvator ipſe quatuor clavis in Cruce confoſſus (*c*). Ex monumentis, quae adhuc ſuperſunt, humana Chriſti imago Cruci argenteae, aureae, ac aeneae affixa primum fuiſſe videtur ope caelaturae, quae *graphidis* dicebatur (*d*), tum in Crucibus ligneis picturae miniſterio, ac tandem anaglyptico opere, omnium ſolidiore, qui mos etiamnum obſer-

(*a*) Ciampin. Tom. II. *veter. monumentor.* cap. XVI. Tab. XXXII.

(*b*) *De veter. Chriſtianorum ritib.* cap. 2.

(*c*) Quatuor clavos in Chriſti crucifixione adhibitos fuiſſe S. Gregorii Turonenſis (*de glor. martyr.* lib. I. cap. 6.) ſententia eſt, quae & veteribus fere omnibus communis fuit praeter Nonnum, gente Aegyptium, urbe Panopolitanum, qui circa initium ſaeculi V. floruit, in Evangelii Iohannis paraphraſi, & praeter auctorem Graecae Tragoediae, quae inſcribitur *Chriſtus patiens*, ſi tamen veteris Scriptoris opus habenda eſt. Certe quaternarium clavorum numerum ſuadent vetuſtiores imagines, a Cornelio Curtio (*de clavis Dominicis* Antuerpiae 1634.), ac ab aliis huiuſmodi cimeliorum editoribus adductae. Neque hoc ita conſtans cenſeri debet, ut contraria exempla prorſus deſint. Siquidem monumenta etiam ſuperſunt nonnulla, quae Chriſtum crucifixum, tribus tantum clavis conſpicuis, repraeſentent: quod & S. Anſelmus (Medit. X. *de paſſione Chriſti*) adfirmare non dubitavit. Huc redit quinetiam Crux ſtationalis ſaeculi XII., quam edidit vir doctiſſimus Hermannus Dominicus Chriſtianopulus ex Praedicatorum Ordine (*de S. Exſuperant. Cingulanor. Epiſc.* Tab. V.), ubi ex altera parte Chriſtus quatuor clavis in Cruce confixus, ex altera tribus tantum conſpicitur. Aſt facile fuit viro critica arte praeſtanti cognoſcere imaginem cum tribus clavis eſſe operis recentioris, proindeque additam fuiſſe antiquiori Cruci. Ceterum ſingularis opinio fuit S. Hilarii *de Trinit.* lib. X. n. 13. Tom. II. edit. Venet. 1750., qui cum clavis etiam funes adhibitas cum Chriſto ſcribit ad corporis pondus relevandum. Sed hac de re vide eruditiſſimam Laurentii a Turre Diſſertationem *de duobus Pſalteriis Foroiulienſibus* in Tom. II. *Crucis Dominicae* editionis Gorianae pag. 212.

(*d*) Vitruv. *de Architect.* lib. I. cap. 1.

obſervatur. Neque tamen quemquam latere putamus, etſi Chriſtus Ieſus nudus corpore in Cruce pependerit, tamen ex modeſtiae conſilio factum eſſe, ut ab antiquis ipſis temporibus Chriſti corpus ab umbilico ad genua velatum fuerit *(a)*. Tum obſervandum venit, praeter quaternarium clavorum numerum, & ſuppedaneum, Ieſum Chriſtum non tamquam enectum oculis clauſis, ſed tamquam viventem, & loquentem apertis oculis veteres repraeſentaſſe. Raro tamen capite mitrato, frequentius coronato, ac ſero nimis eodem ſpinea corona cincto, tamquam in Cruce mortuus, expreſſus reperitur *(b)*.

Hac

(a) Hinc Sanctus Gregorius Turonenſis *de glor. MM.* lib. I. cap.23: *Eſt & apud Narbonenſem urbem in Eccleſia ſeniore, quae beati Geneſii Martyris reliquiis plaudit, pictura, quae Dominum noſtrum quaſi praecinctum linteo indicat crucifixum, quae pictura dum aſſidue cerneretur a populis, apparuit cuidam Baſileo presbytero per viſum perſona terribilis: Omnes vos obtecti eſtis variis indumentis, & me iugiter nudum aſpicitis. Vade quantocius, cooperi me veſtimento &c.* Chriſtum crucifixum hoc modo praecinctum ſupra latera lintei inverſi, & ad media crura pertingentis, adductum habes a Ioſepho Martinio Piſanae Eccleſiae Canonico in eiuſdem Eccleſiae deſcriptione *Tab.xix.*, ubi etiam legitur eo loci circa x. ſaeculum e Hieroſolymis illum advectum fuiſſe.

(b) Iohannes Molanus de SS. Imag. lib.iv. cap.12. haec habet: *Viguit . . . aliquando error inter Ferentinates, ut in Chriſto negarent animam creatam, ſed vices eius aſſererent divinitatem ſuppleviſſe, nec in Cruce mortuum, ſed vivum permanſiſſe aſſerebant. Quare, dum eum in Cruce pingebant, apertis oculis effigiabant, ut & hodie Viterbi in quibuſdam imaginibus Ferentia* (rectius *Ferentino*, ut advertit cl. Iohannis Natalis Paquot, qui anno 1771. Lovanii novam Molani editionem diligenter curavit) *eo allatis, videre eſt. Contra quos, Viterbenſes, fidei zelo moti, cum ſaepius de errore moniti obedire nollent, gravi obſidione contumaces cinxerunt, cinctos expugnaverunt, & occiſione fere deleverunt.* Haec acciderunt anno 1172. Videtur Ferentinates renovaſſe errorem Apollinariſtarum ſaeculi iv. haereticorum, qui impie dictitabant Verbum aſſumpſiſſe ſolam carnem, non vero animam, ita ut Verbum fuerit carni loco animae. Saeculo xiii. alius error invaluit, communiter tributus Petro Iohannis, attamen damnatus in Concilio generali Viennae in Gallia celebrato an. 1311. ſuppreſſo auctoris nomine, Chriſtum nempe adhuc in vivis fuiſſe, dum miles eius latus lancea aperuit, contra apertiſſimum Evangeliſtae Iohannis teſtimonium c.19. v.33. & 34: *Milites . . . ad Ieſum cum veniſſent, ut viderunt, eum iam mortuum, non fregerunt eius crura. Sed unus militum lancea latus eius aperuit, & continuo exivit ſanguis & aqua.*



Ectypus Crucis Graecae pectoralis ex aere
quae adservatur in Ecclesia Collegiata
Sancti Erasmi Verularum
editus cura Stephani Borgiae
a Secretis Sac. Congr. de Propag. Fide
an. MDCCLXXVIIII.

Hac ratione ſingillatim, ac pedetentim eo ventum eſt, ut ſcandalum Iudaeorum, & Gentium ſtultitia ſuſtolleretur, & Chriſtus Ieſus crucifixus fidelium venerationi proponeretur, non in imis, & humilibus locis, ſed in auguſtioribus Baſilicarum partibus, in triumphalibus arcubus, in tribunalibus, in thronis, in faſtigiis, ac in ciboriorum etiam verticibus. Crucifixi quidem Ieſus imago cum ſimplici nimbo, quae ſpinea corona caret, quae oculos gerit apertos, quae quatuor clavis, & ſuppedaneo inſtructa eſt, quaeque a dextero latere ipſius Chriſti Virginem Matrem Mariam, a ſiniſtro latere Iohannem Evangeliſtam, palma ad pedes utrimque adſurgente, & ſupra titulum vel aeternum Patrem ſiniſtra librum vitae clauſum tenentem, divinae ſcilicet praedeſtinationis, & dextera benedicentem, vel Sanctum Nicolaum Myrenſem Epiſcopum habet, a nobis nunc adducitur, quam Lector noſter contempletur. In adverſa parte medium locum tenet Virgo Maria Deipara, infantem Ieſum ſiniſtra gerens (*a*), & ad tria latera totidem protomae, quae, ſi nimbi attendantur, ad Sanctos referri poſſe videntur, quamquam haud nimbos pro ſanctitatis nota accipi ſemper oporteat, qui nimirum etiam hominibus, quos Eccleſia minime ut Sanctos colit, aptati aliquando conſpiciantur. Quare ſi Eccleſiae Graecae Sanctos heic coniicere quis vellet, & Leonem Catanenſem Epiſcopum, ſive potius Leontium, & Porphyrium Martyres, in tranſverſali brachio, orbiculo quoſque ſuo incluſos, haberemus. Graecas quidem epigraphes ΜΡ ΘΥ, ΗΟΑΝΑ, ΜΗ ΧC, quae ſonant *Mater Dei*, *Iohannes*, *Mater Chriſti*, tum ceterae in titulo IC XC, nempe *Ieſus Chriſtus*, ita perſpicuae ſunt, ut nullam involvant difficultaem. Quae vero prope titulum ſunt,

(*a*) Graecis in more fuit primum Virginem Mariam gremio geſtantem puerum Ieſum exhibere, at dein & Graeci, & Latini eamdem brachiis ſuſtinentem Filium exprimere coeperunt. Monumenta, quae id oſtendant, habes apud Du-Cangium, Ciampinium, Gorium, alioſque. Poſt Neſtorii haereſim, & Epheſinum Concilium, quod ipſum, eiuſque errorem diris devovit, magis invaluit uſus effingendi Virginem una cum Filio, ut divinae maternitatis dogma hac etiam ratione luculentius aſſereretur.

ſunt, quae NH . . . KA, ideſt *vince* legenda quis coniiceret, forte etiam ΝΗΚΟΛΑΟΣ intelligi poſſent, tum quae in dextero poſticae partis orbiculo ſunt, vel ΛΕΟ, vel ΛΕΟΝΤΙΟΣ, ac tandem quae in ſiniſtro habentur, ΠΟΡΦΥΡΙΟΣ legi poſſent; quod tamen nonniſi dubie proponimus, ut proinde & has, & ceteras ſiglas, quae in ſuperiori orbiculo proſtant, & circa Deiparae vultum inſcribuntur, Graecae palaeographiae ſtudioſis enodandas relinquamus, cum ita novae ſint aliquot ſiglae, ut nullum earum veſtigium apud eos occurrat, qui eaſdem collegerunt, apud Montfauconium nempe, Maffeium, Corſinium, Placentinium, Audrichium, alioſque in republica litteraria celeberrimos. Haec ſane Crux, quae pectoralis fuiſſe videtur, & ex aere eſt, ſervatur in ſacrario Eccleſiae Collegiatae S. Eraſmi Verularum, nec archetypus ab ectypi forma, & magnitudine diſtat. Eam recenter ibidem inventam a Luca Peregrinio, qui memoratae Collegiatae titulo Abbatis merito praeeſt, nos quidem contrectavimus otio autumnali anni proxime exacti, cum Verulas divertimus una cum Alexandro Baleonio Comite, & adoleſcente perquam nobili, & erga antiquitatis ſtudia egregie animato. Forma ipſa oſtendit eſſe Graecum *encolpium* (*a*), in cuius interiori parte ſacrae reliquiae condebantur; quemadmodum & aliquot Graecae litterae hinc inde inſcriptae, ſed leviter expreſſae, ut vix conſpicuae ſint, ibidem advertuntur. Mos enim apud Orientales, non penes ſolos Epiſcopos, ſed penes fideles omnes quinetiam obtinuerat, ut ex religionis, & ſalutis ſtudio collo appenſam Crucem, particulis vivifici Ligni, vel Sanctorum reliquiis ditatam geſtarent. Tum & ipſi Imperatores huiuſmodi utebantur encolpiis tamquam peculiaribus proprii amoris, & devotionis argumentis: *In ſignum autem* (ut habet Nicephorus Imperator (*b*) Leonem III. adlocutus) *mediatricis inter nos in Domino dilectionis miſimus veſtrae fraternae Beatitudini encolpium aureum, cuius una facies chryſtallum incluſum, altera*

(*a*) De *encolpiis*, ideſt Crucibus, vide Du-Cangium in notis ad *Alexiadem Annae Comnenae* pag. 247., & 248.

(*b*) Vid. apud Baronium ad annum 811. n. 43.

altera picta nigello eſt, *& intus habet alterum encolpium*, *in quo ſunt partes honorandi Ligni in figura Crucis poſiti*. Quare Andreas Sauſſayus (*a*) in ea fuit ſententia, ut exiſtimaret, a Graecis ad Latinos Epiſcopos ςαυροφόρημα, ideſt Crucis geſtationem, ante pectus fuiſſe traductam.

Verumtamen, utcumque hoc ſe habeat, uſus imaginis Chriſti crucifixi haud alterum vetuſtiorem exprimendi Dei Filium ſub Agni figura inter fideles in Eccleſia abrogavit, neque etiam mos ipſe illum ſub hoc nomine invocandi ceſſavit. Iohannes Diaconus (*b*) hoc nimirum de Sergio III. Romano Pontifice initio ſaeculi X. tradit: *Fecit* ... (in Baſilica Salvatoris) *Crucem auream cum Crucifixo*: *argenteas duas*, *unam habentem Crucifixum totum de auro*, *& Agnum de auro cum gemmis*. In Doxologia maiore, qua in celebratione Euchariſtiae utimur, Agni nomine Chriſtum compellamus: *Domine Deus*, *Agnus Dei*, *Filius Patris*; & in eadem Liturgia a temporibus Sergii I. Rom. Pont. (*c*), dum a Deo veniam petimus, ut nobiſcum miſericorditer agat, eodem nomine ipſum invocamus: *Agnus Dei*, *qui tollis peccata mundi*, *miſerere nobis*. Celebres ſunt cerei orbiculi a Romanis Pontificibus benedicti, qui *Agnus Dei* vulgo appellantur, ob Agni figuram, Reparatoris generis humani ſymbolum, quam praeſeferunt; atque hanc provinciam nos abunde explevimus, cum propitiatorio anno MDCCLXXV. Auguſtini Valerii Cardinalis hac de re opuſculum praevia noſtra praefatione recudendum, & inluſtrandum curavimus. Quapropter argumentum hoc claudimus S. Paullini verba recitantes (*d*): *Ipſe enim pro nobis & animam*, *& carnem ſuam poſuit*, *& recepit*; *qui & ſacerdos*, *& hoſtia*, *Agnus*, *& Paſtor eſt*, *qui pro ovibus ſuis Paſtor*, *& pro Paſtoribus ſuis Agnus occiſus eſt*.

(*a*) *Panopl. Epiſcop.* lib. IV. *de Cruce pectorali*.
(*b*) In lib. *de Eccleſ. Lateranen.* apud Mabillon. in *Append. Ordin. Roman.* pag. 575. Tom. II. *Muſ. Ital.*
(*c*) Vid. Tom. I. lib. Pontif. *in vit. S. Sergii I.* n. 14.
(*d*) Epiſt. XI. al. V. *ad Sever.*

CA-

CAPUT VI.

De ipſa Dominicae Crucis portione.

REvertimur denuo ad anteriorem partem Crucis Vaticanae, quam inluſtramus, & in ea peculiari obſervatione dignus ſeſe nobis nunc obfert orbiculus, qui in eius medio habetur, quique non exiguam particulam continet ſalutaris illius ligni Crucis Dominicae, quod gemmis quinetiam pro dignitate circumquaque inſignitur. Iam ſuperius (*a*) a nobis oſtenſum fuit, olim in more poſitum fuiſſe veterum Chriſtianorum Cruces coronis cingere. Hae vero coronae vel aureae, vel argenteae, vel laureae, vel etiam gemmatae fuerunt, quae vel Crucibus imponebantur, vel ab ipſis pendebant, vel etiam in orbem obducebantur. Certe enim & in numiſmatibus, & in aliis etiam veteribus monumentis frequenter occurrit Crux cincta corona ex lauro, vel ex aliis etiam foliis contexta. Huiuſmodi porro erat Crux, quam in ſua Baſilica florea corona redimitam deſcribit S. Paullinus (*b*):

Ardua floriferae Crux cingitur orbe coronae,
Et Domini fuſo tincta cruore rubet.

Quo tempore Iulianus Crucis hoſtis infenſiſſimus (*c*) Hieroſolyma-

(*a*) Cap. IV.

(*b*) Epiſt. XXXII. al. XII. *ad Sever.*

(*c*) Quam infenſus fuerit Iulianus in Crucem, praeter alia multa, demonſtrat inſignis locus in Actis SS. Bonoſi, & Maximiliani Martyrum apud Ruinartium ſect. 1. & 5: *Iulianus Comes* (ita referunt) *dixit ad Bonoſum, & Maximilianum: Dominus Imperator noſter iuſſit, ut ſignum quod habetis in labaro, mutare debeatis. Bonoſus, & Maximilianus dixerunt: nos ſignum quod habemus, mutare nullo modo poſſumus . . . Tunc Iulianus Comes dixit ad Iovianum, & Hercolianum* (erant enim ex numero militum Hercolianorum, & Iovianorum, quorum cohortes ad Valentiniani III. tempora perſeverarunt) *mutate ſignum, quod habetis in labaro, & accipite ſignum deorum; & quid defenditis ſignum Chriſtianorum &c.* Mutaverat Iulianus ab imperii exordio labarum exercitus, qui cum ipſo tunc erat, non vero ceterorum, qui ad id bellum adverſus Perſas comparatum acceſſerunt. Unicuique autem exercitui ſuum

ſolymarii templi reparationem per ſummam Chriſtianae religionis iniuriam adgreſſus eſt (*a*), apparuit in caelo Crux lucis radio ita cincta, ut corona ornari videretur, tamquam in trophaeum Deo pro relata adverſus impios victoria, ut ſcribit Gregorius Nazianzenus (*b*). Quare pretioſum Crucis

lignum,

ſuum labarum fuiſſe aſſerit Euſebius in vita Conſtantini lib.I. c.31. Unum quidem praecipuum, alia verò ad eius ſimilitudinem expreſſa, in quibus, ut notum eſt, Crux & monogramma eminebant. Tale itaque cohortis ſuae ſignum ſervare volebant Bonoſus, & Maximilianus milites, quod eis martyrium accerſivit. Haec blaſphemus ille deſertor noſtrae religionis in Crucem agebat, licet per hanc in ipſa ſua impietate a ſpectris fuerit aliquando liberatus. Mira profecto res, teſtata tamen a S. Gregorio Nazianzeno in priori adverſus Iulianum invectiva, Sozomeno lib.v. cap.2., & Theodoreto lib.III. cap.3., ubi de Iuliano narrant, quod cum incantationibus operam daret, ſpectris quae ad magorum voces apparuerant deterritus, quaſi in magno diſcrimine eſſet, pro Chriſtianorum conſuetudine, quam didicerat, ſe ipſum ſigno Crucis conſignavit: cuius virtute ſpectra protinus evanuerunt.

(*a*) Iudaei, ut Chriſti Reparatoris noſtri vaticinia a veritate exciderent, ſemel, iterum, ac tertio templi Hieroſolymarii a Salomone conſtructi, & a Tito incenſi, ac diruti reſtitutionem moliti ſunt. Primum circa an. cxxxiv. duce Barchocheba, ſed ab Hadriano Auguſto repreſſi ſunt, (Tertull. *adv. Iudaeos* cap. 13., Euſeb. *ex Ariſtone Pallaeo* lib. iv. cap.6.). Deinde Conſtantino Magno Imp. an. cccxxv., qui eorum conatus fortiter cohibuit (Chryſoſtom. Homil. v. *adv. Iudaeos*). Tandem ſub Iuliano an. ccclxiii. & quamvis impius deſertor ipſis faveret, opus tamen caelitus immiſſo igne in irritum ceſſit, id ipſum teſtante Ammiano Marcellino ethnico ſcriptore, qui lib.xxiii. cap.1. de Iuliano inquit: *Imperiique ſui memoriam magnitudine operum geſtiens propagare, ambitioſum quondam apud Hieroſolyma templum, quod poſt multa, & interneciva certamina, obſidente Veſpaſiano, poſteaque Tito, aegre eſt expugnatum, inſtaurare ſumtibus cogitabat immodicis, negotiumque maturandum Alypio dederat Antiochenſi, qui olim Britannias curaverat pro praefectis. Cum itaque rei idem fortiter inſtaret Alypius, iuvaretque provinciae rector, metuendi globi flammarum prope fundamenta crebris aſſultibus erumpentes, fecere locum exuſtis aliquoties operantibus inacceſſum: hocque modo elemento deſtinatius repellente, ceſſavit inceptum.*

(*b*) Invect.I. *contr. Iulian.* To.I. *Opp.* pag. 101. Venetiis 1753: *Hoc autem uno iam ore omnes referunt, ac pro certo habent, quod eos* (Iudaeos) *ſumma vi, atque contentione ingreſſum ſibi aperire conantes, ignis e templo occurrens inhibuit . . . . . . Quod autem hoc etiam mirabilius, clariuſque fuit, lux in caelo ſtetit, Crucem in orbem deſcribens, ac nomen illud, & figu-*

lignum, de quo recinas licet, quae Sibylla iam praedixerat, ut eſt apud. Sozomenum (*a*):

Oh Lignum felix, in quo Deus ipſe pependit,

illud, inquam, lignum, quo ditatur Crux Vaticana, par erat corona ornari, quam nimirum efformat circulus gemmarum, quo inſignitur orbiculus, vitalis ligni receptaculum.

Ex hac coronarum forma, a primis uſque temporibus ad Crucem ornandam adhibita, profectas putamus Cruces intra orbiculum clauſas, vel corona circumdatas, quae vel pictura effinguntur, vel marmore inſculpuntur ad parietes ſacrarum aedium, quae conſecrationis ritu dedicantur. Harum ſane Crucium uſus perquam venerandus ad prima tamen tempora referri non poteſt, quibus illum plane ignotum oſtendunt veteres Baſilicae adhuc ſuperſtites, inter quas cenſenda eſt Baſilica Oſtienſis S. Paulli, quae his Crucibus caret, quemadmodum & in ceteris nullum eſt earum veſtigium. Hinc adduci non poſſumus, ut Iacobo Pamelio conſentiamus, qui (*b*) referens laudatos S. Paullini verſus exiſtimat, iiſdem innui hodiernam conſuetudinem figendarum Crucium muris Eccleſiarum, cum eaedem conſecrandae ſuſcipiuntur. Infirma quidem nimis eſt Pamelii coniectura, nec aliunde ſuppetunt monumenta, quibus confirmetur, eoque adducatur, ut quinto Eccleſiae ſaeculo, quo floruit Sanctus Nolanus Epiſcopus, hunc ritum invaluiſſe ſuadeat. Non parietibus, ſed loco, in quo excitandum erat templum aliquod, etiam antiquiſſimis temporibus Crux figi conſueverat; qui ſane ritus ſolemnibus precibus ab Epiſcopo recitatis auſpicatior fiebat (*c*); atque etiam adhibebatur, quotieſcum-

& figura, quae in terra prius impiis contemptui fuerat, in caelo nunc omnibus ex aequo oſtenditur, Deoque victoriae adverſus impios obtentae trophaeum efficitur, trophaeo omni ſublimius, & praeſtantius. Ad haec porro quid dicturi ſunt huius ſaeculi ſapientes, ſuaque magnificis verbis exornantes, qui profundas barbas geſtant, ac ſcitum, & venuſtum pallium trahunt?

(*a*) *Hiſtor. Eccleſ.* lib.I. cap.1.

(*b*) *Liturgica Latinor.* Tom. I. pag.502. Colon. Agrippin. 1571.

(*c*) Iuſtinian. *Novell.* CCCXXXI. cap.7. Hinc, obſervante Macrio in *Hierolex.* v. *Stauropegium*, dioeceſis aliquando adpellata eſt Σταυροπήγιον, hoc eſt territorium, in quo Epiſcopus ius figendae Crucis pro aedificandis Eccleſiis haberet.

Pro-

tieſcumque Ethnicorum templa ab omni ſuperſtitionum labe expurgata cultui divino dedicarentur (*a*). Sed ad vivificum Lignum Crucis noſtrae veniamus.

Temporis vetuſtate factum eſt, ut hoc lignum colorem immutaverit, & in eum declinaverit, qui phoeniceus eſt, & vulgo *caſtagnino* dicitur; quod & in pleriſque pretioſi huius ligni particulis animadvertitur. Ex qua vero ligni ſpecie ſit, haud ſtatui poteſt, quominus raſura aliqua ſumatur examini ſubiicienda, quod ſane per vitrum, quo tegitur, fieri haud licet. Quare hanc diſquiſitionem, quam factam a Lipſio (*b*) novimus, qui lignum Crucis ex quercu, & a Gretſerio (*c*), qui Ven. Bedae ſententiae adhaerens, ex variis lignis, cupreſſo nempe, cedro, pino, & buxo (*d*) confictam docuit, intactam prorſus relinquentes, de loco potius, ex quo haec Sanctae Crucis particula deſumpta fuerit, verba faciemus.

Crucis Dominicae inventio, quam Helenae Conſtantini Magni matri Hieroſolymis obtigiſſe teſtantur Rufinus Aquileienſis (*e*), Theodoretus Epiſcopus Cyri (*f*), S. Ambroſius (*g*), S. Paullinus Nolanus (*h*), Socrates (*i*), Sozomenus (*k*), Sulpicius Severus (*l*), & alii, haud maioribus eget argumentis, quibus credibilior, ac certior fiat, cum tot, tantorumque

g 2 viro-

Propterea CPolitanus Patriarcha, cum aliquod Monaſterium, ſive aliam Eccleſiaſticam rem ab Ordinario loci eximere volebat, ibidem Crucem erigebat.

(*a*) Gothofred. in l. xxv. *Cod. Theod.* lib. I. tit. 3., ubi quae ſupererant Gentilium templa eatenus deſtrui iubet Imp., ut prius *conlocatione venerandae Chriſtianae religionis ſigni expientur*.

(*b*) Lib. III. *de Cruce* cap. 13. Vid. inſuper Alfonſum Ciacconium *de ſignis ſanctae Crucis, quae diverſis olim orbis regionibus, & nuper hoc anno* MDXCI *in Gallia, & Anglia divinitus oſtenſa ſunt*. *Romae* 1591. c. 30.

(*c*) Lib. I. *de Cruce* cap. 4. 5. & 6.

(*d*) *Sed buxus* (ait Beda) *non fuit in Cruce, niſi tabula de illo ligno ſupra frontem Chriſti, in qua conſcripſerunt Iudaei titulum, hic eſt rex Iudaeorum. Cupreſſus fuit in terra uſque ad tabulam; cedrus in tranſverſum; pinus ſurſum.* Tom. III. *Opp. in Collectan.* pag. 495. Coloniae Agrippinae 1612.

(*e*) Lib. I. *Additament. ad hiſtor. Euſebii* cap. 7. & 8.

(*f*) *Hiſtor. Eccleſ.* lib. I. cap. 18.

(*g*) In Orat. *de obitu Theodoſii ſenioris Aug.* Tom. v. *Opp.* Lutetiae Pariſior. 1661. pag. 123.

(*h*) Epiſt. XXXI. al. XI. *ad Sever.*

(*i*) *Hiſtor. Eccleſ.* lib. I. cap. 17.

(*k*) *Hiſtor. Eccleſ.* lib. II. cap. 1.

(*l*) *Hiſtor. Sacr.* lib. II. cap. 34.

virorum fulciatur teſtimoniis. Horum autem nonnulli inſuper tradiderunt, Helenam inventae a ſe Crucis partem pro ipſius filio Conſtantino Aug. reſervaſſe (*a*), alteram vero partem *thecis argenteis* incluſam Hieroſolymis reliquiſſe, *quae etiamnum* (ideſt uſque ad Rufini tempora, qui ſic loquitur) *ad memoriam ſollicita veneratione ſervatur*; quandoquidem, teſtante Theodoreto: *Dominicae autem Crucis partem quidem palatio attribuit. Reliquum argentea theca, quam fabricari iuſſerat, incluſum, civitatis Epiſcopo* (Hieroſolymorum Macario) *tradidit, hortata, ut ſalutis noſtrae monumentum ad poſterorum memoriam diligenter cuſtodiret*. Idem ſcribit Socrates: *Crucis vero portionem unam, argentea incluſam theca, iis, qui viſere eam vellent, ad perpetuam memoriam illic reliquit*. Tum de parte ad Conſtantinum Conſtantinopolim miſſa ea ſubdit, quae a nullo alio memorantur, ſcilicet: *Quam* (Crucis partem) *ille cum accepiſſet, pro certo habens civitatem illam perpetuo incolumem fore, in qua hoc pignus ſervaretur, in ſtatua ſua recondidit, quae CPoli in foro, quod Conſtantini dicitur, ſuper ingenti columna purpurea poſita eſt. Atque hoc quidem auditione acceptum huic hiſtoriae inſerui. Omnes tamen ferme, qui CPolim incolunt, id verum eſſe affirmant* (*b*). Poſtremo

(*a*) Rufinus, Theodoretus, Socrates, Sozomenus locc. citt.

(*b*) Philippus Venutius in Diſſert. *de Cruce Cortonenſi* pag. 31. refert in hanc rem auctoritatem petitam a *libro ſecundo Eutropii* hiſce conceptam verbis: *Salvatoris vero Crucis partem quidem aliquam filio diſtribuit* (Helena ſcilicet pientiſſima Imperatrix) *quam Conſtantinus ſuſcipiens, & credens ſalvari civitatem, ubi haec particula ſervaretur, in ſua ſtatua* (*ſicuti fertur*) *in foro Conſtantini poſita, ſuper columnam porphyreticam devote condidit, reliquam vero partem in argentea theca clauſam, Machario Sacerdoti civitatis reliquit, & undique congregans artifices, maximas illic ornataſque Eccleſias aedificavit*. Sed vir cl. tribuit Eutropio ethnico ſcriptori, qui in ſuo Breviario Hiſtorico lib. x. plura in Conſtantinum male dicta effutiit, quod dandum erat Collectori *Hiſtoriae Miſcellae*, in cuius lib. XI. exſtant allata verba apud Muratorium Tom. I. *Rer. Italic. Scriptor.* pag. 74. Hiſtoriam porro Miſcellam coaluiſſe tum ex Eutropio, tum ex aliis Ethnicis, & Chriſtianis Scriptoribus adeo manifeſta res eſt, ut nihil ſupra, proindeque nullus dubito, quin allatus textus ex Socrate in Miſcellam deſcenderit, uti alii quamplurimi ex Euſebio, Rufino, ac potiſſimum ex Hiſtoria Eccleſiaſtica,

mo tandem Sozomenum audire non pigeat ſic loquentem: *Porro huius venerandae Crucis, quae tum reperta eſt, maxima quidem portio Hieroſolymis in argentea theca etiamnum cuſtoditur. Partem vero eius Imperatrix ad Conſtantinum filium detulit una cum clavis, quibus corpus Chriſti confixum fuerat.* Ex his vero, quae nunc praefari libuit, duo arguere licet, partem nempe maximam Crucis Hieroſolymis depoſitam eſſe, quam in templo a Conſtantino exſtructo, cui nomen Ἀνάστασις, ſeu *Reſurrectio*, ſive etiam *Martyrium*, ſive *Golgotha*, ſive tandem *Sancta Crux* (a), conlocatam fuiſſe novimus, quaeque dein

ſiaſtica, quam e Gtaeco converſam ad poſteros emiſit Anaſtaſius Bibliothecarius, in eamdem tranſierunt. Ceterum cuinam referenda ſit Miſcellae conſarcinatio, vide apud ſupralaudatum doctiſſimum Muratorium in Praefatione.

(a) Harum nomenclationum varietates in cauſſa fuerunt, ut in errorem incideret vir ſane doctiſſimus Alexius Symmachus Mazochius, cui, ut ſequenti adnotatione prolixius oſtendemus, templum Reſurrectionis ab altero Golgothae, quae unum ſunt, diſtinguere libuit. Sane Conſtantinus unum tantum Hieroſolymis templum aedificavit, quod & Golgotham, & Sepulcrum, inter ſe LXXX. paſſuum intervallo diſtantia, comprehendebat. Euſebius in Oratione *de laudibus Conſtantini*, tum in eiuſdem vita lib. III. cap. 31. huius templi, ut unici, memoriam iniecit. Nec aliter hoc ipſum commemoravit Auctor *Itinerarii Hieroſolymitani*, qui anno CCCXXXIII. Hieroſolymis fuit; quique ita refert de templo Hieroſolymitano (apud Petrum Weſſelingium, qui vetera Itineraria collegit, ediditque Amſtelodami an. 1735. pag. 593.): *A ſiniſtra autem parte eſt monticulus Golgotha, ubi Dominus crucifixus eſt. Inde quaſi ad lapidem miſſum eſt crypta, ubi corpus eius poſitum fuit, & tertia die reſurrexit. Ibidem modo iuſſu Conſtantini Imp. baſilica facta eſt, id eſt, Dominicum mirae pulchritudinis, habens ad latus exceptoria unde aqua levatur, & balneum a tergo, ubi infantes lavantur.* Nec niſi unum templum Hieroſolymis inſuper deſignarunt Socrates, Sozomenus, Rufinus, Sanctus Paullinus, tum ceteri, quos mittimus. Tandem rem conficiet locus inſignis Catecheſis XIV. S. Cyrilli Hieroſolymitani (p. 207. edit. Venetae 1763.), qui unum nimirum templum, quod a Golgotha ad Reſurrectionis locum, ideſt a loco crucifixionis ad ſepulcrum pertingeret, apertiſſime deſignat. Ipſe enim exponens verba Sophoniae: *Propterea exſpecta me, ait Dominus, in diem reſurrectionis meae, in Martyrion (ſeu teſtimonium)*, ita ſubdit: *Vides etiam Propheta praevidiſſe locum reſurrectionis, qui Martyrium appellandus erat. Qua enim ratione non ceterarum Eccleſiarum more hic Golgothae, & Reſurrectionis locus Eccleſia appellatur, ſed Martyrium? at id fortaſſe propter Prophetam, qui dixit:*

dein ſedulo penes Eccleſiaſticum miniſtrum, qui σταυροφύλαξ, ſive *Crucis cuſtos* dicebatur (*a*), nihilque praeterea curabat aliud, adſervata eſt; tum partem alteram, quae Conſtantino ceſſit,

xit : „ *In diem reſurrectionis meae* „ *in Martyrium* „. Etiam noſtra aetate compertum eſt Conſtantinianum templum Hieroſolymis & Calvariae, & Sepulcri locum continenter amplecti.

(*a*) Nonnullorum ſalutaris ligni Dominicae Crucis cuſtodum in templo Heroſolymitano nomen, & memoria commendata eſt monumentis. Nos duo dumtaxat huius dignitatis in Eccleſia Hieroſolymitana potitos recitabimus, nempe Sanctum Porphyrium, qui Gazae Epiſcopus occubuit circa annum CCCCXXI., & Iohannes electus Epiſcopus Hieroſolymitanus anno IↃIX. Huius mentio habetur apud Victorem Epiſcopum Tununenſem ſaeculi VI. ſcriptorem *in Chronico* apud Caniſium *Theſaur. monum. eccleſ.* Tom.I. p.337. edit. Baſnagii. Ille vero, nempe S.Porphyrius, memoratur a Marco eius diſcipulo in vita, quam de ipſo conſcripſit. Quare huius vitae locum praeſtat nunc exſcribere, ut in eumdem obſervatio aliqua ex nobis accedat. Locus eſt huiuſmodi: *Quum . . . . . audiſſet autem S.Porphyrii nomen, & vitam, qui erat ſanctorum locorum Sacerdos Praylius, eum accerſivit, & invitum ordinavit Presbyterum; quin etiam ei credidit cuſtodiam venerandi ligni Crucis*. Hinc vir cl. Alexius Symmachus Mazochius in *Comment. ad vet. Neapolitan. Eccleſ. Kalendar. ad diem 27. febr. pag.* 72. *& ſeqq.* coniicere ſe poſſe putavit, Praylium illum Chorepiſcopum ſanctorum locorum fuiſſe, qui tamen Epiſcopali polleret charactere, cumque conſtet tunc temporis, ideſt circa annum CCCXCIII, Hieroſolymorum Epiſcopum Iohannem fuiſſe, illum proinde pro Chorepiſcopali Eccleſia uſum fuiſſe illa, quae dicta eſt *Golgotha*, ubi ſervatum putat ſanctum Crucis lignum, non autem altera, cui nomen *Reſurrectio*, quam creditam Iohannis curae exiſtimat. Hoc duarum Eccleſiarum diſtinctionis conſilio id ſe adſecutum cenſuit vir eruditiſſimus, ut nodum ſolveret, qui exſtat de duobus Epiſcopis uno tempore Hieroſolymitanam Eccleſiam gubernantibus. Aſt cum ex dictis ſuperiori adnotatione labatur haec diſtinctio, quandoquidem ſaeculo IV. appareat unum dumtaxat Hieroſolymis templum exſtitiſſe, quod & locum mortis, ſive Golgotham, & locum reſurrectionis, ſive ſepulcrum complectebatur, alia expiſcanda erunt rationum momenta, quibus allato textui, & aliis quinetiam in eadem vita S. Porphyrii exſtantibus obſcuritas tollatur. Nobis nunc ſat erit hanc adhuc intactam, & inſolutam difficultatem indicaſſe, quae feliciorem exſpectet explanatorem. Ceterum Macrius in *Hierolex.* v. *Staurophylax* memorat quemdam ſermonem *Chryſippi Presbyteri Hieroſolymorum, & ſtaurophylacis ſanctae Reſurrectionis*, ſervatum Romae in Bibliotheca Barberina, egregium porro monumentum contra Mazochii opinationem.

ceſſit, haud in fragmenta alia ſectam fuiſſe, ſed *in ſtatua ſua* ex Socratis fide fuiſſe reconditam. At Gretſerius (*a*) aliter hac de re ſenſit, qui nimirum poſt adductum locum S. Iohannis Chryſoſtomi (*b*) ita argumentatur: *Porro non imaginem aliquam Crucis, vel Crucifixi, ſed portionem Crucis illius, in qua Dominus pependit, hoc medio ieiuniorum die, populo propoſitam fuiſſe, facile ſibi perſuadebit is, cui ignotum non eſt Helenam Crucis inventae partem CPolim ad filium Conſtantinum miſiſſe. Et licet Hiſtorici tradant, Conſtantinum partem Crucis a matre ſibi dono miſſam, ſtatuae ſuae CPoli incluſiſſe, ut infra ſuo loco docebimus; a vero tamen non abhorret, eum, quo fructus divini muneris ad plures manaret, portionem illam in plures diviſiſſe, & earum aliquibus Eccleſias ornaſſe, praeſertim, cum certorum auctorum teſtificatione compertum ſit, eumdem Imp. parte Crucis decoraſſe etiam Baſilicam S. Crucis Romae in atrio Seſſoriano a ſe erectam, ut ſuo loco videbimus, & ex Beda conſtat, magnam partem ſanctiſſimae Crucis, CPoli in templo S. Sophiae aſſervatam fuiſſe, ut infra etiam ex eodem Beda referemus. Quamvis fortaſſis portio illa Crucis, cuius Beda meminit, poſt tempora Conſtantini, atque adeo etiam ipſius Chryſoſtomi, Beda longe antiquioris, CPolim pervenerit.* Recte porro hic ſermo procederet, ſi firmo fundamento niteretur, quod ſane non ita ſe habere, facile patet.

Ac primum quidem, ſi verba faciamus de Crucis ligno, quod Conſtantinus Romae in Baſilica Seſſoriana repoſuit, ignotum plane eſt, an haec portio (*c*) ex ea parte manaverit,

(*a*) *De Cruce* lib.I. cap.58.

(*b*) Ex Homilia de veneratione pretioſae, vitaliſque Crucis, media ieiuniorum hebdomada, hoc eſt in media Quadrageſima ad populum habita.

(*c*) Accipe, quae Anaſtaſius in vita S. Silveſtri (Tom. I. n.22.) de Conſtantino poſterorum memoriae commendavit circa Baſilicam Seſſorianam, quae nunc S. Crucis in Hieruſalem nuncupatur: *Eodem tempore fecit Conſtantinus Aug. Baſilicam in palatio Seſſoriano, ubi de ligno S. Crucis D. N. I. C. poſuit, & auro, & gemmis concluſit, atque Baſilicam dedicari fecit, quae cognominatur uſque in hodiernum diem Sancta Hieruſalem.* De Crucis reliquia, quae in hoc templo adſervatur, conſulendus eſt Commentarius *de titulo Dominicae Crucis archetypo* viri cl. Dominici M. Mannii amici noſtri, qui in Tom. II. *Crucis Dominicae*

naverit, quam Helena filio ſuo conceſſit, an ab altera, quae Hieroſolymis depoſita fuit, ex qua ſcilicet certo novimus fragmenta multa deſumpta fuiſſe, quae ceteris largienda eſſent. Sane ex hac Hieroſolymitanae Crucis inſigni portione abſtractum fragmentum obtinuit S. Leo Magnus anno CCCCLIV. a Iuvenale Hieroſolymorum Antiſtite, ſi fides habenda eſt huic Leonianae epiſtolae articulo, quo haec habentur: *Particulam Dominicae Crucis cum eulogiis dilectionis veſtrae veneranter accepi*. Qui quidem articulus haud urgendus ſummopere per nos erit, quibus innotuit ipſum nequaquam a duobus germanis fratribus Petro, & Hieronymo Balleriniis, S. Leonis operum accuratiſſimis editoribus, in praeſtantioribus mſs. codicibus inventum fuiſſe, ut proinde a textu iidem abeſſe voluerint, contenti illum in marginalem adnotationem (*a*) reieciſſe. Illud tamen haec epiſtola ſuadebit (quidquid de laudato articulo cenſendum ſit), etiam S. Leonis aevo verum Crucis lignum Hieroſolymis exſtitiſſe, quandoquidem ibidem praeterea haec habentur (*b*): *Utere igitur, Frater cariſſime, invictiſſimis Catholicae fidei documentis, & Evangeliſtarum praedicationem ſanctorum locorum, in quibus degis, teſtificatione defende. Apud te eſt Bethleem, in qua ſalutifer Davidicae Virginis partus illuxit &c. Hoc tibi ipſa Crux indeſinenter loquitur; hoc lapis clamat ſepulcri, in quo Dominus humana conditione iacuit, & de qua divina potentia reſurrexit*. Ceterum Leoniani loci dubietas antiquiori S. Cyrilli, qui anno CCCL. Hieroſolymorum Epiſcopus eſt renunciatus, auctoritate compenſabitur. Is enim aperte fatetur, Crucis inventionem Conſtantini Magni aetate contigiſſe (*c*), pluresque illius

cae a Gorio edito locum habuit, cui addi inſuper nunc poterunt, quae Aegidius Regatius Mediolanensis, & Ciſtercenſis Monachus edidit Romae anno CIↃIↃCCLXXVII. *de ſacroſancta, & vivifica I. C. Salvatoris noſtri Cruce, aliiſque eiuſdem cruciatuum, & necis inſtrumentis, iis praeſertim, quae in Baſilica S. Crucis in Hieruſalem Romae religioſe aſſervantur*.

(*a*) Tom. I. *Oper. S. Leonis M.* pag. 1294. Venet. 1753.

(*b*) Ibid. pag. 1289.

(*c*) In epiſt. *ad Conſtantium Imp.* pag. 352. Venetiis 1763., ubi de Cruce lucis ſplendoribus coruſcante, quae in Sanctae Pentecoſtes die-

illius particulas fidelibus diſtribui conſueviſſe. *Sanctum* (ut ipſe (*a*) ait) *Crucis lignum teſtatur* (nempe Deum eſſe Chriſtum) *quod ad hodiernum uſque diem apud nos conſpicitur*, *ac per eos*, *qui fide impellente ex eo fruſta decerpunt*, *orbem fere totum hinc iam opplevit*. Et alibi (*b*): *Nam ſi nunc negavero* (Chriſti ſcilicet paſſionem), *arguet me iſte Golgothas*, *cui nunc omnes proxime adſiſtimus*, *arguet me Crucis lignum*, *quod per particulas ex hoc loco per univerſum iam orbem diſtributum eſt*. Quare ſi poſtrema haec verba attendantur, ex his colligere erit, Crucis reliquias, quibus poſt eius inventionem ditatus eſt univerſus mundus, ex ſacro Hieroſolymorum cimelio profluxiſſe, quandoquidem ex Conſtantinopoli haud proficiſci potuiſſe videntur, cum Conſtantinus alteram partem *in ſtatua ſua* condidiſſet, ut ſuperius monuimus.

His adde, S. Iohannis Chryſoſtomi auctoritatem a Gretſerio allatam (praeterquamquod generalibus verbis eſt expreſſa, quae cuicumque loco aptari facile poſſunt), ex opere, quod inter apocrypha merito ammandatum eſt a Maurinis Monachis Pariſienſibus (*c*), petitam eſſe, cuius proinde nullum eſſe poſſit robur ad oppoſitam ſententiam adſtruendam. Exponit alibi (*d*), ubi nulla dubietas, vel ſuſpicio, idem Sanctus Pater fidelium anxietates, & curas, quibus huiuſmodi ligni ſegmenta aliqua conſequi poſſent; at nihil addit, quod oſtendere

h valeat

diebus ſeptima Maii Hieroſolymis *in caelo ſuper ſanctum Golgotham*, *& uſque ad ſanctum Olivarum montem expanſa apparuit*. Contigit haec adparitio an. CCCLI., & ad diem VI. Maii de ea fit mentio in Menologio Baſilii, & in Ruthenis Tabulis.

(*a*) Catech. X. n. 19. pag. 146.

(*b*) Catech. XIII. n. 4. pag. 184.

(*c*) Tom. III. *Opp.* pag. 819. Pariſiis 1721., ubi *Homilia in pretioſae Crucis adorationem*, *media hebdomada ieiuniorum*. Alia apocrypha de Cruce exſtant Tom. II. pag. 820., ubi *Homilia in venerabilem*, *atque vivificam Crucem*, *& de primorum hominum transgreſſione*, To. III. p. 825., ubi *Homilia de confeſſione Crucis*, & Tom. XI. pag. 820., ubi *Oratio in adorationem venerandae Crucis*. Genuina vero de Cruce habentur Tom. II. pag. 403. in *Homilia in Crucem*, *& in Latronem*: *item de ſecundo Chriſti adventu*, *& quod frequenter ſit orandum pro inimicis*, & eod. Tom. pag. 411. in *Oratione in Crucem*, *& in confeſſionem Latronis recitata in ſancta & magna Paraſceve*, *& quod oporteat pro inimicis orare*.

(*d*) Tom. I. *Opp.* lib. *Quod Chriſtus ſit Deus*, contra Iudaeos, & Gentiles pag. 571. Pariſiis 1718.

valeat Conſtantinum partem eius, quae ipſi contigerat, reliquiſſe Conſtantinopoli, ut fidelibus vel viſenda, vel corradenda concederetur. *Illud vero ipſum lignum* (ſic ipſe loquitur), *in quo ſacrum corpus paſſum, & crucifixum eſt, cur certatim omnes adeunt? Cur particulam eius multi ſumentes auro incluſam tum viri, tum mulieres a collo ſuſpendunt ad ornatum: etſi damnationis, & ultionis ſymbolum hoc lignum fuerit?* Haec ad Iudaeos, & Gentiles, manifeſto adludens non ad partem aliquam Crucis Conſtantinopoli tunc exſtantem, unde fideles particulas ſumerent, ſed ad cultum, quem Chriſtiani ligno Crucis praebebant, Hieroſolymis nempe, ad quam urbem manifeſta res eſt poſt Helenam fideles pietatis, religioniſque cauſſa undique contendiſſe (*a*). Hinc penes antiquos videmus Crucis particulas profectas non a Conſtantinopoli, ſed a Hieroſolymis, idque non unius tantum Cyrilli teſtimonio adfirmamus, ſed aliorum quoque per inſequentia tempora Scriptorum; atque ut metam argumenti non excedamus, imperium nempe Iuſtini iunioris, adferemus S.Paullinum Nolanum, qui ad ſuperos evolavit anno XXIV. poſt Chryſoſtomum, nempe Chriſti CCCCXXXI. Hic nimirum fatetur ſe ab Hieruſalem particulam divinae Crucis accepiſſe, uti manifeſtum eſt ex eius epiſtola, quam in fine huius capituli dabimus. Paullino ſuccedat Alcimus Avitus Epiſcopus Viennenſis, qui obiit anno DXXIII. Hic pariter ad Antiſtitem Hieroſolymarium ſcripſit pro impetrando Sanctae Crucis munere, quod ut facilius conſequeretur, Romani Pontificis, forſan Symmachi, interceſſionem expetiit. *Unde* (ſic ait in epiſtola ad Romanum Pontificem (*b*), quae tamen principio caret), *etiamſi pignus reliquiarum ſacrae Crucis putamus eſſe vobiſcum, a Sancto tamen Aeliae urbis Antiſtite hanc ſpecialiter munificentiam credimus expetendam. Qui revera ſacramenti ipſius veram, & inviolabilem puritatem loci adminiſtratione conſervans, ſic deſiderabili potens eſt impertire nos dono, ut ab omni cunctationis abſolvat ambi-*

(*a*) Conſule quae refert doctiſſimus Mamachius Tom. II. *Orig. & antiquit. Chriſtian.* pag. 27. & ſeqq. de peregrinationibus veterum Chriſtianorum in Palaeſtinam.

(*b*) Apud Iacobum Sirmondium Tom. II. *Opp.* p. 53. Pariſiis 1696.

ambiguo. Qua de re plurimum pagina famulante depoſco, ut ad praefatae Eccleſiae ſacerdotem litteras Apoſtolatus veſter tribuat portitori &c. Eiuſdem Crucis particulam obtinuiſſe Radegundem Reginam, quae adhuc in vivis erat regnante Chilperico Francorum Rege, cuius tempora recidunt in illa Iuſtini iunioris, ac religioſe in Pictavienſi Monaſterio ipſam conlocaſſe, ex Gregorio Turonenſi (*a*) adſequimur: *Crux Dominica* (en verba), *quae ab Helena Auguſta reperta eſt Hieroſolymis, ita quarta, & ſexta feria adoratur. Huius reliquias & merito, & fide Helenae comparanda, Regina Radegundis expetiit, ac devote in Monaſterium Pictavienſe, quod ſuo ſtudio conſtituit, collocavit, miſitque pueros iterum Hieroſolymam, ac per totam Orientis plagam, qui circumeuntes ſepulcra Sanctorum Martyrum, Confeſſorumque cunctorum reliquias detulerunt.* Imo, ſi fides habenda eſt Scriptori vitae Radegundis apud Gretſerium, quem cap. III. citavimus, ipſa hanc particulam vivificae Crucis per Iuſtinum Imperatorem obtinuit. Patet igitur tum ante, tum poſt Chryſoſtomum Crucis particulas non a Conſtantinopoli, ſed a Hieroſolymis profectas eſſe ad explendam fidelium devotionem.

Sane Bedae temporibus, qui mortem obiit anno IↃCCXXXV. aderat CPoli magna huius vitalis ligni pars; at haec non ex ea parte, quam Conſtantinus *in ſtatua ſua* condiderat, abſtracta fuerat, ſed ex ea, quam Helena Hieroſolymis reliquerat, quaeque dein initio ſaeculi VII. a Perſis erepta, per Heraclium, qui orientali imperio potitus eſt anno DCX., redempta, ac deinde Conſtantinopoli in templo S. Sophiae (*b*) fuit conlocata.

h 2

(*a*) Lib. I. cap. 5. *de glor. Martyrum*.

(*b*) Celeberrimum S. Sophiae templum ſuperiorum temporum & huius adhuc miraculum, conditum fuit a Conſtantino Magno, & a Conſtantio perfectum, ac poſtea a Theodoſio iuniore inſtauratum, ſed cum in ſeditione Victoriatorum conflagraſſet, a Iuſtiniano I. Iuſtini ſenioris nepote in auguſtiorem formam fuit renovatum. Copioſe ſtructuram, & magnificentiam eius exſecuti fuerunt Paullus Silentiarius in *Ecphraſi*, & in notis ad eam Du-Cangius, item lib. III. *Conſtantinopolis Chriſtianae*. Sanctae Sophiae nomine non Sancta quaedam Martyriſſa, Sophia dicta, ſed Ieſus Chriſtus, Dei Sapientia, a Graecis deſignabatur, ut ipſi volunt; aut accepit Eccleſia id

ta (*a*). Quapropter e re nunc erit commemorare vetuſtiſſimam Crucem auream bracteatam, quae in eius medio, Agni, vel alterius rei loco, refert intra orbiculum, quem veteres *mancuſum* dixiſſent (*b*), Heraclii Imp. caput hac appoſita epigraphe: D N HERACLIVS PFA. Crucem hanc quidem publici iuris fecit anonymus Auctor inluſtrationis Kalendarii Polironiani ſaeculi XII. (*c*), quem tamen Ioh. Auguſtinum Gradenigium Epiſcopum Clugienſem fuiſſe novimus, atque haec ſane inter praecipua Heraclianae victoriae monumenta eſt adnumeranda. At nunc audire praeſtat, qua ratione Beda illam Crucis partem, quae aetate ſua Conſtantinopoli exſtabat in templo S. Sophiae, deſcribat (*d*): *Interior domus in aquilonari ſui parte grande, & pulchrum armarium habet, in quo caſſa lignea, ligneoque operculo tecta Crucis Dominicae tres particulas continet, longum videlicet lignum in duas partes inciſum, & tranſverſum eiuſdem ſanctae Crucis lignum*. Aliud poſt Bedam teſtimonium de eodem Crucis ligno CPoli adſervato habemus apud Conſtantinum Porphy-

id nomen, quod Sancta Dei Sapientia, hoc eſt Verbum Dei in ea doceretur, eo pariter modo, quo Caſſiodorus ex Sozomeno (*Hiſt. tripart.* lib. IX.) Baſilicam CPolitanam *Anaſtaſiam* putat ideo nuncupatam, non quia Chriſto Reſurgenti fuerit dedicata, ſed quia *dogma Nicaeni Concilii in CPoli, quaſi iam mortuum, in eo loco revixerit*. Ceterum etiam alibi nonnullae Eccleſiae audiebant *Sanctae*, aut etiam *Sancti Sophiae*. Ita Matthias de Michovia lib. II. *de Sarmatia* cap. 3. memorat in urbe Novogrod fuiſſe *principalem eccleſiam Sancti Sophiae, id eſt Salvatoris, tectum aureis laminis ſplendeſcentibus*. Beneventi adhuc exiſtat Eccleſia ſub nomine S. Sophiae, de qua abunde egimus in Tom. I. operis noſtri, cui titulus: *Memorie iſtoriche della Pontificia Città di Benevento* pag. 263. & ſeqq. Romae 1763.; & ſub eodem nomine olim fuiſſe alia templa Theſſalonicae, Nicaeae, & Antiochiae teſtes ſunt Theophanes, & Niceta.

(*a*) Nicephor. CPolitanus Patriarch. *in Hiſtoriar. Breviar.* pag. 14. & ſeqq. Pariſ. 1648.

(*b*) Apud Anaſtaſium Bibliothecarium de Leone IV. Rom. Pont. legitur Tom. III. num. 104: *Item* (ſcilicet obtulit Eccleſiae S. Petri) *aliam Crucem de auro unam habentem in medio monocoſſim*, vel *mancuſum*, ut emendavit Altaſerra. Vide quae in hunc locum Sebaſtianus Donatius adnotavit in libro, quem incripſit: *De' dittici degli antichi profani, e ſacri* in Lucca 1753. pag. 190.

(*c*) *Calendario Polironiano del* XII. *ſecolo illuſtrato da un Socio Colombario &c.* Venezia 1759. pag. 66. & ſeqq.

(*d*) In lib. *de locis ſanctis* cap. 20. Tom. III. *Oper.* pag. 370. Coloniae Agrippinae 1612.

phyrogenitam (*a*), qui imperium obtinuit anno IↃCCLXXX., quique conſuetum eſſe ipſum kalendis auguſti in publicum prodire luculentiſſime tradit.

Sed non ex hoc, quod ſacrum lignum Hieroſolymis Conſtantinopolim translatum fuerit, poſtquam Heraclius Perſas ingenti praelio devicit, illud ſequitur nullam huiuſce ligni particulam Hieroſolymis ſtetiſſe. Nam monumenta non deſunt, quae oſtendant aliquam Crucis particulam in hac urbe remanſiſſe etiam poſt Heraclii tempora, quaeque & eamdem a fidelibus veneratam uſque ad univerſae Palaeſtinae deſtructionem inſuper demonſtrent. Gunterus Monachus *in Hiſtoria CPolitana*, quam circa annum CIↃCCX. exaravit, ita nimirum rem hanc nobis teſtatur, dum Martinum Abbatem, qui CPolis direptioni interfuit, ita loquentem inducit (*b*): *Terra ſancta, quam Chriſtus ſuis calcavit veſtigiis, in qua infirmos curavit, coecos illuminavit, leproſos mundavit, mortuos ſuſcitavit; terra, inquam, illa in manus impiorum data eſt. Subverſae ſunt Eccleſiae, pollutum Sanctuarium, regni ſedes, & dignitas translata eſt ad gentes. Sacroſanctum illud, & venerabile Crucis lignum, quod Chriſti ſanguine perfuſum eſt, ab his, quibus verbum Crucis ſtultitia eſt, ita ſuppreſſum occultatur, itaut nemo Chriſtianus, quid de illo actum ſit, vel unde requiri debeat, ſcire poſſit.* Iacobus Baſnagius hunc Auctorem ſibi contradicentem facit, quod dein inter reliquias, quas ſecum adduxit Martinus Abbas, Crucis lignum recenſuerit. At Gunterum non inter ſe pugnantia loquentem Martinum facere dicendum eſt, ſiquidem animadvertatur, Martini adlocutionem ſpectare illud Crucis lignum, quod Hieroſolymis adſervabatur, quodque in illa rerum perturbatione amiſſum fuit; contra vero Crucis reliquiam, quam ſibi paravit Martinus ipſe in patriam adſportandam, CPoli habuiſſe. Neque etiam huius rei rationem tacet, quae non alia fuit, quam univerſorum poſt CPolis everſionem ad praedam properatio, cuius quidem exemplo

coepit

(*a*) *De caeremon. aulae Byzantinae* lib.II. cap.8. *Obſervanda calendis auguſti, prodeunte in publicum venerabili, & vivifica Cruce* (in qua Chriſtus paſſus eſt).

(*b*) *Theſaur. monum. Eccleſ. Henr. Caniſii* pag.6. Tom.IV. edit. Baſnagii Amſtelodami 1725.

coepit Martinus Abbas (*a*) *de ſua etiam praeda cogitare, ac ne aliis omnibus ditatis ipſe vacuus remaneret, propoſuit & ipſe ſacratas manus ad rapinas extendere. Sed quoniam praedam rerum ſaecularium eiſdem manibus attrectare putabat indignum, illud agere coepit, ut de reliquiis Sanctorum, quorum ibi magnam ſciebat eſſe copiam, aliquam ſibi corraderet portionem &c.* Dein narrat modum, quo Martino licuit eaſdem reliquias obtinere, ſecumque Baſileam adſportare, atque inter eas refert (*b*) *lignum fuiſſe Dominicae Crucis, in quo Filius Patri ſuo nobis immolatus veteris Adae novus Adam debitum ſolvit.* Haud ergo contradictionem involvunt, quae recitat Gunterus, nec a vero erravit, cum Crucis particulam Hieroſolymis adſervatam tunc amiſſam aſſeruit, cum hoc ipſum eventum narrent & alii, ac praeſertim anonymus Auctor *Epitomes bellorum ſacrorum*, qui anno CIↃCCCCXXII. in Palaeſtina verſabatur, & cuius haec ſunt verba (*c*): *Anno itaque ab incarnatione Domini* CIↃCLXXXVII. *quarta die iulii, Chriſtianus exercitus a Saladino Soldano Babylonis victus ſuccubuit, Guidone Rege capto, Baronibus, & populo univerſo. Et Sancta Crux, quam in exercitu boni deferebant, capta eſt, & perdita, ita quod numquam potuit inveniri uſque in hodiernum diem, quam etiam ipſe Soladinus fecit inquiri, & non potuit invenire.*

His omnibus praemiſſis, id ſua ſponte ſequitur, ligni vitalis fruſtulum, quod Iuſtinus argenteae Cruci, quam Romam miſit, incluſit, ab ea portione, quam Helena Hieroſolymis eſſe voluit, vel ab altera quinetiam ab hac ipſa dein profecta particula fuiſſe avulſum. A Hieroſolymitano cimelio inſuper dicendum eſt profluxiſſe cetera huius ſalutaris Crucis egmenta, quae ab Anaſtaſio Bibliothecario in vitis Silveſtri, de quo iam diximus, Hilarii (*d*), & S. Symmachi (*e*) memorata

(*a*) Ibid. pag. XVI.
(*b*) Ibid. pag. XXI.
(*c*) Ibid. pag. 438.
(*d*) Tom. I. num. 3.
(*e*) Ex Anaſtaſii loco in vita S. Symmachi (*Tom.* 1. *num.* 7.), & Petrus Mallius (*Hiſtor. Baſil. S. Petri cap.* 3. *num.* 42.), & Maphaeus Vegius (*de rebus Baſil. Vatic. lib.* 1. *cap.* 4. *num.* 35.), quorum Libri in *Tomo* VII. *SS. Iulii* operis Bollandiani inſerti ſunt, arguere ſe poſſe putarunt, hunc Pontificem decem vivifici ligni libras in theca Crucis for-

rata comperimus, quaeque Iuſtini minoris donum antecedunt. Illa ſiquidem prima ſunt, quae Romam profecta didicimus Dominicae Crucis fragmenta, eiſque ſuccedit Iuſtini dono largitum fruſtum, quod nunc inluſtramus; ceterorum vero, quae poſt Iuſtini tempora huc proceſſerunt, non eſt huius loci verba facere.

Ceterum aliud Crucis monumentum Iuſtini dono anterius quis coniicere poſſet, quod ab Anaſtaſio Bibliothecario in vita Sergii I., qui pontificatu potitus eſt anno IↃLXXXVII., hiſce verbis deſcribitur (*a*): *Hic beatiſſimur vir in Sacrario beati Petri Apoſtoli capſam argenteam in angulo obſcuriſſimo iacentem invenit: & ex nigredine tranſactae annoſitatis, nec, ſi eſſet argentea, apparuit; ſed, Deo ei revelante, argenteam eſſe reperit. Oratione igitur facta, ſigillum expreſſum abſtulit, locellum aperuit, in quo interius plumarium ex holoſerico ſuperpoſitum, quod ſtauracis dicitur, invenit. Eoque ablato, inferius Crucem diverſis, ac pretioſis lapidibus adornatam inſpexit: de qua tractis quatuor petalis, in quibus gemmae clauſae erant mirae magnitudinis, ineffabilem portionem ſalutaris ligni Dominicae Crucis interius repoſitam*

formam referente condidiſſe. En Anaſtaſii locus: *Item ad fontem in Baſilica S. Petri Apoſtoli oratorium S.Crucis ex argento in confeſſione penſ. lib. xxx., & Crucem ex auro, & gemmis, ubi incluſit lignum Dominicum, penſantem libras x.* Perſpicuum ſane eſt, quam quod maxime, verba illa *penſantem libras* x. ad totius aureae, & gemmatae Crucis pondus cum ipſo ligno, non ad ſolum ligni pondus eſſe referendum, communi genere id praeſertim monente (*penſantem* nempe habet) pro neutro *penſans*, ut aliter dictum fuiſſet. Ac proinde Petrus Mallius, qui ſedente Alexandro III. vixit, ut textum ſententiae ſuae de x. vitalis ligni libris accommodaret, *penſans* ex ingenio ſcripſit. Vegius vero ita opinionem ſuam expoſuit: *In quo non eſt praetereundum, nobiliſſimum aliud, quod in Baſilica S. Petri habetur venerandae ipſius Crucis, ac certiſſimum pignus. Nam cum Symmachus Papa exſtruxiſſet in ipſa Baſilica Oratorium S. Crucis eximie, mireque ornatum, ſed noviter quidem dirutum, ad augendam etiam maiorem eius devotionem recondidit in abſide ipſius, decem libras veri ligni S.Crucis: quod cum apud idoneum quemdam auctorem forte legiſſem, notum id feci iis, ad quos cura Baſilicae pertinebat; ut cum dirueretur, cuſtodes ad id adhiberentur, ne incuria deperiret; quibus recte curantibus, itaut legeram, compertum eſt, exſtatque nunc ipſum ſacratiſſimum lignum, ſervaturque a Canonicis ſumma cum veneratione.*

(*a*) Tom. I. num. 10.

ſitam invenit, quae etiam ex die illo pro ſalute humani generis ab omni populo Chriſtiano die exaltationis S. Crucis in Baſilica Salvatoris, quae appellatur Conſtantiniana, oſculatur, & adoratur. Hic ſane locus, qui fere iiſdem verbis exſtat apud Bedam (*a*), Angelo Roccae Tagaſtenſi Epiſcopo (quem in Prooemio citavimus) is viſus eſt, quo non aliud, quam Crucis reliquia a Iuvenali Hieroſolymorum Antiſtite S. Leoni Papae dono data, quam & ſuperius innuimus, adamuſſim, perſpicueque deſignaretur. Hanc ipſe agnovit in inſigni ligni fruſto, in Crucis formam compoſito, & utrimque ſacris imaginibus numero XII. inſculpto,

(*a*) *De ſex aetat.* Tom. II. *Opp.* p. 116. Idem legitur in Martyrologio Adonis ad diem XIV. Septembris dicatum Exaltationi Sanctae Crucis, apud Cl. Dominicum Georgium p. 471. Romae 1745. Non eſt huius loci diſputare de antiquitate, & potioritate feſtorum Inventionis, & Exaltationis S. Crucis. Idem Georgius loco citato, & ad diem III. maii pag. 188., quo recolitur Inventio, plura ad rem erudite adnotavit. Vide etiam Cl. Mazochium ad Kalendar. Neapolit. III. Maii p. 284., ubi demonſtrare contendit feſtum Inventionis, de quo ſilent Graecorum Eccleſiaſtici libri, & Moſcoviticum Kalendar., antiquitus per Occidentem uſitatum, ſed poſt feſtum Exaltationis, quem vetuſtiorem ſtatuit. Quod autem Pontifex Sergius Crucem in ſacrario Baſilicae Vaticanae repertam tranſtulerit in Baſilicam Salvatoris oſculandam, & adorandam in die feſto Exaltationis, id tribuendum eſt manſioni Romanorum Pontificum per ea tempora penes Baſilicam Salvatoris in Patriarchio. Sanctus Auguſtinus *epiſt.* 29. *Tom. II. Oper. pag.* 70. Venetiis 1759. Baſilicam Sancti Petri *remotum eſſe locum*, ſcribit, *ab Epiſcopi converſatione*. Symmachus Papa ſub finem ſaeculi VI. primus innoteſcit, qui teſte Anaſtaſio in vit. n. 7. *Epiſcopia dextra laevaque fecit*, penes S. Petrum. Eius ſucceſſores ampliaverunt haec aedificia, donec Nicolaus III. anno MCCLXXVIII. FIERI FECIT PALATIA ET AVLĀ MAIORA ET CAPELLĀ ET ALIAS DOMVS ĀTIQVAS AP̄LIFICAVIT, ut habet vetus incriptio modo adſervata in Capitolio in palatio Conſervatorum, quae olim pomoerii Vaticani muris adfixa erat, quaeque legi poteſt in *Tom.* I. *pag.* 48. Collectionis Romanarum Inſcriptionum auctore V. Cl. Petro Aloyſio Gallettio Cyraenenſium in partibus Epiſcopo, veterique amicitia ſpectatiſſimo. Verum uſque ad S. Sedis migrationem in Galliam, ut plurimum palatium Lateranenſe a Pontificibus inhabitatum bullarum ſubnotationes paſſim oſtendunt. Num autem ante hanc epocham, nempe temporibus Nicolai III., vel alicuius ſucceſſoris, ſeu poſt reditum S. Sedis ex Gallia, cum ſtabilis eorum ſtatio fuit penes Vaticanum, Crux ab Anaſtaſio memorata redierit ad S. Petri Baſilicam, viderint alii.

pto, inter quas Ieſu Chriſti quatuor clavis in Cruce confoſſi imago praecellit; quod ſane monumentum in Apoſtolico Sacrario, cuius Rocca praefectus fuit, adſervatur. At nos aliter ſentimus, qui allato Anaſtaſii loco Iuſtini minoris Crucem potius deſcriptam arbitramur, atque eo firmius in noſtra ſententia manemus, quo preſſius eidem favere videmus auctoritatem Maphaei Vegii Baſilicae Vaticanae Canonici, qui Eugenii IV. aetate floruit, quique IV. libros *de rebus antiquis memorabilibus Baſilicae S. Petri Romae* conſcripſit, quos in Bollandiano opere (*a*) conſulere licet. Sed praeſtat ipſum audire loquentem (*b*): *Illud quoque memoratu dignum videtur, quod Sergius Papa, ſicut divina eius viſione revelatum fuerat, invenit in ſacrario Baſilicae S. Petri, ac in loco quidem longe recondito, & obſcuro, forulum argenteum, prae nimia vetuſtate deformatum, itaut nec ex argenti materia factum videretur; quodam etiam ſigillo obſignatum, cum veſte ſacra holoſerica deſuper, atque intra clauſam Crucem Domini noſtri auro, lapidibuſque eximie ornatum, cum parte veri ligni S. Crucis ibidem repoſita, ſicuti additae ibi litterae ſignificabant; quod poſtmodum in die feſto exaltationis S. Crucis publice adorandum populo quotannis ex antiquo more oſtendebatur. Unde plane glorioſior videtur nunc Vaticanus pretioſo huius Crucis, tam ſalutaris, numquamque periturae arboris ligno, quam illius, de qua dictum eſt, antiquiſſimae ilicis, quae nihilum proderat, tandemque interiit.* Quapropter ſimul conferantur loca Anaſtaſii, & Vegii, figatur obtutus in Crucem a Rocca exhibitam, quae gemmis caret, & tota ex ligno eſt, quod pia traditio ex ſalutari Dominicae Crucis eſſe credit, dein in alteram a Iuſtino largitam, ac tum demum iudicium feratur, quis rem, vel Rocca nimirum, vel nos ipſi, & ante nos Vegius accuratius attigerit (*c*). Ac ſane Maphaeum Vegium de Iuſtini Cruce Anaſtaſii locum intelligendum eſſe exiſtimaſſe, vel ex iis patet, praeter cetera, quae hiſce ver-

i bis

(*a*) *Act. SS. iunii* Tom. VII. Anterpiae 1717.

(*b*) Lib. I. cap. 4. num. 36.

(*c*) In Bibliotheca Vaticana exſtat codex *num.* 3536. opus continens Nicolai Signorilis a ſecretis in-

bis expreſſit: *ſicut additae ibi litterae ſignificabant*, quae quidem litterae epigraphem ex diſticho ſuperius allato compoſitam, & in Iuſtini Cruce caelatam apertiſſime denotant, quarum litterarum, & epigraphis nullum veſtigium in Cruce ſacrarii Apoſtolici, quin earum loco adſunt ſacrae imagines, quas ſupra innuimus, & quarum altum eſt in Anaſtaſio ſilentium. At reponere quis poſſet, caelaturas poſteriori aevo acceſſiſſe, verbaque Anaſtaſii *ineffabilem portionem ſalutaris ligni* melius Cruci ſacrarii Apoſtolici convenire, quae ex inſigni, craſſoque ligni fruſto conſtat, quam Cruci Iuſtini, in qua exiguum huius ligni ſegmentum continetur. Verumtamen ſi duplo maius figura, quam nos aere expreſſimus, huiuſmodi lignum concipiatur, haud incongruum videri poterit, *ineffabilem portionem* id ipſum, quod in Iuſtini Cruce conditur, fragmentum appellari. Praeterea id etiam animadvertatur, Roccam Anaſtaſii locum de Cruce a Iuvenali Hieroſolymorum Epiſcopo ad S. Leonem M. dono miſſa intellexiſſe, quae, etſi res certa eſſet, nihil aliud praeſeferebat, quam *particulam Dominicae Crucis*; nec ſane niſi particula, licet inſignis, & valde conſpicua, ea eſt, quae in Iuſtini monumento reconditur. Huc accedit potuiſſe etiam ob vivifici ligni raritatem *ineffabilem* dici huiuſmodi non exiguam portionem, dum ceteras, quae alibi habebantur, multo minores fuiſſe conſtaret. Nec etiam niſi exigua huius ligni fruſtula fidelibus concedi antiquitus conſueviſſe, docet epiſtola Alcimi Aviti Viennenſis Epiſcopi, qua Papae Hieroſolymitano gratias agit pro

incliti Magiſtratus almae Urbis Martino V. R. P. directum, de rebus Romanis pertractans, & praeſertim de ſanctorum Reliquiis Romae adſervatis. Inter has, ubi de Baſilica Vaticana verba facit, habetur lignum ſanctae Crucis hiſce verbis deſcriptum: *Item una Crux argentea deaurata, & lapidibus pretioſis ornata, quae dicitur S. Gregorii, in qua eſt de ligno verae, & ſalutiferae Crucis Domini noſtri Ieſu Chriſti.* Videat Lector num haec Crux ad noſtram Iuſtini Aug. referri poſſit. Deſcriptio porro in pluribus convenit, neque obſtant addita verba *quae dicitur S. Gregorii*, cum haec vel ad locum, in quo temporibus Martini V. haec Crux adſervabatur, nempe prope altare S. Gregorii Magni, vel quia iſte Pontifex hac Cruce uſus frequenter fuit, vel ad aliam cauſſam referri commode poſſunt.

pro accepto munere, ſacrae nimirum Crucis particula (*a*), *non quantitatis pretiis*, ut inquit, *ſed ſalutis praemiis aeſtimanda*; ac tandem S. Paullini locus (*b*), quo hanc diſquiſitionem abſolvimus. Haec enim ille habet, cum de Crucis particula, quam Hieroſolymis per Melaniam acceperat, modicum ſegmentum mitteret ad Severum: *Quod nobis bonum benedicta Melania ab Hieruſalem munere ſancti inde Epiſcopi Iohannis attulit, hoc ſpecialiter ſorori noſtrae venerabili Baſſulae miſit conſerva communis; ſed quod alteri veſtrum datur, utriuſque veſtrum eſt; quia in utroque veſtrum una ratio manet; & ſexum evacuat fides, qua in virum perfectum ambo concurritis. Accipite ergo ab unanimis fratribus in omni bono veſtrum ſibi conſortium cupientibus, accipite magnum in modico munus; & in ſegmento pene atomo haſtulae brevis* (*c*) *ſumite monimentum praeſentis, & pignus aeternae ſalutis. Non anguſtetur fides veſtra carnalibus oculis parva cernentibus, ſed interna acie totam in hoc minimo vim Crucis videat. Dum videre vos cogitatis lignum illud, quo ſalus noſtra, quo Dominus maieſtatis affixus, tremente mundo, pependerit, exſultetis cum tremore. Recordamur & petras fiſſas ad huius aſpectum Crucis; & ſaltem ſaxorum aemulatione, praecordia noſtra findamus timore divino. Reputemus & velum templi eodem Crucis myſterio ſciſſum; & intelligamus illius veli ſciſſuram eo fuiſſe praetentam, ut audientes vocem Domini, & myſterium pietatis immenſae, non obduremus corda noſtra, ſed a carnalibus dividamur, & ſcindamus infidelitatis velamen; ut revelata cordis facie, ſalutarium Dei munerum ſacramenta videamus.*

(*a*) Ap. Sirmondium Tom. II. Opp. epiſt. XXXIII.

(*b*) Epiſt. XXXI., al. XI. *ad Sever.* pag. 189.

(*c*) Ad rem idem S. Paullinus in ep. XLIX. al. XXXVI. ad Macarium de uſu ex peregrinatione Hieroſolymitana aliquid ſecum reportandi de locis ſanctis, & praeſertim de ligno verae Crucis: *Si ergo*, ait, *religioſa cupiditas eſt loca videre, in quibus Chriſtus ingreſſus, & paſſus eſt, & reſurrexit, & unde conſcendit; & aut de ipſis locis exiguum pulverem, aut de ipſo Crucis ligno aliquid ſaltem feſtucae ſimile ſumere, & habere, benedictio eſt; conſidera quanto maior & plenior gratia ſit, vivum ſenem* (Valgium, ſeu Victorem, quem Macario commendat) *vel teſtimonio divinae veritatis inſpicere? &c.*

CAPUT VII.

De cultu Crucis Vaticanae in feria VI. maioris hebdomadae.

BIS in anno pretioſum hoc Crucis monumentum publicae fidelium venerationi in Vaticana Baſilica exhibetur, feria nempe VI. maioris hebdomadae, & feria II. Paſchatis reſurrectionis. Optimo conſilio factum id nemo non videt; prima enim vice eo tendit, ut D. N. I. C. paſſionis memoriam inſtauret, per quam, ut ait Apoſtolus Paullus (*a*), *humiliavit* Chriſtus *ſemetipſum factus obediens uſque ad mortem, mortem autem* CRVCIS; tum & in noſtram vergere poſſit inſtitutionem, ut nimirum *aſpicientes* [ut idem Apoſtolus alibi docet (*b*)] *in auctorem fidei, & conſummationem* IESVS, *qui propoſito ſibi gaudio ſuſtinuit* CRVCEM, *confuſione contempta*, hinc bona omnia, ſalutem, & vitam aeternam obtineamus. Altera vero vice id eo ritu conficitur, ut manifeſtum nobis fiat, Ieſum Chriſtum, poſtquam *per ſanguinem* CRVCIS *eius* (*c*) pacem ubique diſſeminavit, mortem noſtram moriendo deſtruxiſſe, & vitam reſurgendo reparaſſe. *Propter quod* [teſtante eodem Apoſtolo (*d*)] *& Deus exaltavit illum, & donavit illi nomen, quod eſt ſuper omne nomen: ut in nomine* IESV *omne genufleclatur, caeleſtium, terreſtrium, & infernorum, & omnis lingua confiteatur, quia* DOMINVS IESVS CHRISTVS *in gloria eſt Dei Patris*.

Horum ſane rituum Crucis noſtrae oſtenſionis, & cultus vetuſtior ille eſt, qui feria VI. obitur, quem proinde quoquo modo inluſtrandum nobis propoſuimus; idque eo libentius facimus, quum more maiorum, ideſt adhibito vero Crucis ligno, peragatur in Vaticano Templo, *quod in toto orbe terrarum* [ut Leonis X. verbis utar (*e*)] *longe omnium maximum, atque ſanctiſſimum ſemper fuit*. Huius vero Baſilicae religionem, & curam pro ſartis tectis ſervandis veteribus ritibus, nemo quidem ſatis pro dignitate commendaverit, quae, tametſi illos aliis

in

(*a*) *Ad Philipp.* cap. II. v. 8.
(*b*) *Ad Hebraeos* cap. XII. v. 2.
(*c*) *Ad Coloſs.* cap. I. v. 20.
(*d*) *Ad Philipp.* loc. cit.

(*e*) *Petri Bembi Epiſtolar. Leonis X. nomine ſcriptar.* lib. IX. ep. 13. *Raphaello Urbinati directa* pag. 253. Venetiis 1552.

in Eccleſiis pro temporum varietate paſsim antiquari videret, eos tamen numquam aboleri permiſerit. In hac nimirum peculiaris Davidici Pſalterii verſio veluti eximium venerandae antiquitatis depoſitum hucuſque ſervatur (*a*), illa nempe verſio, quam ſan-

(*a*) Verſio haec pars eſt illius ſane vetuſtiſſimae, quae Latino-Itala vulgo audit; quaeque exſtabat ante tempora Hieronymi, illius nempe ſancti Doctoris, qui tot in ſacra Biblia, & Pſalterium labores, & ſtudia inſtituit. Hanc verſionem *vulgatam* appellat idem S. Hieronymus (in cap. IV., & XLIX. *Eſaiae*), quod a vulgata verſione, ſive κοινῇ, *communi*, profecta fuerit. Vocat autem *veterem* S. Gregorius (*epiſt. ad Leandr.*), ut eam ab altera, quam edidit S. Hieronymus, quaeque *recens* dicta eſt, diſtinguat. Sane ipſe ſanctus Doctor (*epiſt.* CVI. *ad Sunniam*, *&* *Fretelam*) duas ſtatuit Graecae verſionis editiones, alteram quidem ſinceram, mendoſam alteram, dum ita ſcribit: *Illud breviter admoneo, ut ſciatis aliam eſſe editionem, quam Origenes, & Caeſarienſis Euſebius, omneſque Graeciae tractatores* κοινὴν, *ideſt communem appellant, atque vulgatam, & a pleriſque nunc* Λουκιάνειος *dicitur; aliam* LXX. *Interpretum, quae in hexaplis codicibus reperitur, & a nobis in Latinum ſermonem fideliter verſa eſt, & Hieroſolymae, atque in orientis eccleſiis decantatur...* Κοινὴ *autem iſta, hoc eſt communis editio, ipſa eſt, quae &* LXX. *Sed hoc intereſt inter utramque, quod* κοινὴ *pro locis, & temporibus, & pro voluntate ſcriptorum, vetus corrupta editio eſt. Ea autem, quae habetur in hexaplis, & quam nos vertimus, ipſa eſt quae in eruditorum libris incorrupta, & immaculata* LXX. *Interpretum translatio reſervatur. Quidquid ergo ab hac diſcrepat, nulli dubium eſt, quin ita & ab Hebraeorum auctoritate diſcordet*. Neque ſane eſt huius loci recenſere Sancti Hieronymi curas tum ut quamplures ſacros libros ex Graecis verſionibus iampridem in Latinum translatos emendaret, tum ut novam Latinam verſionem ex Hebraico textu excuderet, & ubi laudatus textus deficeret, ex Graecis codicibus ſuppleret. Illud tantum monebimus, ipſum & Italae verſionis in tanto opere rationem habuiſſe, qua ſane uſus eſt, cuiuſque plures ſervavit lectiones. Hoc quidem Hieronymianum opus Biblicum textum fere totum, paucis quidem libris exceptis, efficit, qui recentioris vulgatae nomine circumfertur, quem ex omnibus Latinis editionibus authenticum declaravit Tridentina Synodus (ſeſs. IV. cap. 2.), & de quo ita loquitur Clemens VIII. in praefatione, quae vulgatae editioni praeponi ſolet: *Qui namque in ea* (in vulgata nimirum) *libri continentur, ut a maioribus noſtris quaſi per manus traditum eſt, partim ex S. Hieronymi translatione, vel emendatione ſuſcepti ſunt; partim retenti ex antiquiſſima quadam editione Latina, quam S. Hieronymus communem, & vulgatam, S. Auguſtinus Italam, S. Gregorius veterem translationem appellat*. Hos inter retentus probabiliter fuit liber Sapientiae, cuius Lati-

ſanctiſſimus Hipponenſium Epiſcopus Auguſtinus *Italam* appellat, & prae ceteris commendat. *In ipſis autem* (ait lib.II. *de Doctrina Chriſtiana* cap.15.) *interpretationibus Itala ceteris praeferatur; nam eſt verborum tenacior cum perſpicuitate ſententiae:* In hac ritus dandi *Presbyterium* (*a*) in *Litania maiore* Clero Romano,

Latinam verſionem ad veterem Italam ſpectare putant ſacrorum librorum ſtudioſi, quandoquidem ex praefatione S. Hieronymi in libros Salomonis licet arguere ipſum Sapientiae librum intactum reliquiſſe. Ceterum in eo praeſertim fuit Sancti Hieronymi ſtudium, ut, cum Romae moraretur, antiquiſſimam Pſalterii verſionem Latinam, quae tunc in uſu habebatur, ad fidem Graecae LXX. viralis translationis emendaret, & rurſus ampliorem eumdem laborem Bethlemi degens inſtauraret, ac tandem novam inſuper verſionem ex Hebraico textu adornaret. De prima, & ſecunda emendatione loquitur in epiſtola ad Paullam, & Euſtochium, quarum cauſſa ſecundam emendationem aggreſſus fuerat, quae ſane epiſtola Biblicis editionibus praeponi conſuevit; de verſione autem ex Hebraicis litteris teſtatur in lib. II. *Apolog. adv. Rufin.* n. 30. Verumtamen haud factum eſt, ut hae tum emendationes, tum verſiones in Latina Eccleſia, & in Romana praeſertim, eiuſque propagine Africana Eccleſia, Pſalmorum, qui erant pars Italae, ſeu veteris vulgatae Latinae, quae ante S. Hieronymi tempora ex Graeca verſione κοινῇ, ſive *communi* prodierat, uſum penitus abrogarent. Ceterum penes paucas Eccleſias uſus hic perduravit, poſtquam Hieronymiana verſio tractu temporis generatim recepta eſt, ut proinde, poſtquam Romanae Baſilicae, Pontifice Sancto Pio V., pſalmodiam iuxta recentiorem vulgatam amplexae ſunt, Vaticanae Baſilicae ex Pontificis indulgentia, quae in eo erat, ut quae peculiari Breviario a CC. annorum ſpatio utebantur, retinere idipſum poſſent, veteris vulgatae, ſive Italae recitationem proſequi licuerit, & adhuc liceat. Tandem illud monere oportet, etiam in Miſſali Romano Italae verſionis veſtigia plura haberi, in introitibus nempe, gradualibus, tractibus, offertoriis, & poſtcommunionibus. Qui plura hac de re cognoſcere cupiat, adeat Diſſertationem ſane eruditam Antonii Martinetti *de Pſalterio Romano* Romae excuſam anno 1745., in qua tamen pag. 37. nimis fidenter aſſeritur Hieronymum e Graeco textu Sapientiae librum in Latinum ſermonem vertiſſe, & de Italae fragmentis in Miſſali exſtantibus altum ſilentium habetur.

(*a*) Petrus Morettius vir clariſs. in luculento, quem Romae edidit ann. CIↃIↃCCXLI., libro, quique inſcribitur: *Ritus dandi presbyterium Papae, Cardinalibus, & Clericis*, pluribus (Part. II. ſect. 7. pag. 152., & ſeqq.) presbyterii caerimoniam exponit, quae adhuc cum Clero Romano poſt proceſſum *Litaniae maioris* die XXV. aprilis, Sancti Marci

mano, qui ſolemni proceſſui die vigeſimo quinto aprilis ad camdem Baſilicam ab antiquiſſimis uſque temporibus intereſſe ſolet:

ci Evangeliſtae honori ſacra, in Baſilica Vaticana peragitur. Huc pertinet etiam *Parergon*, quod ſequenti anno idem Auctor protulit, quodque eſt *de feſto in honorem Principis Apoſtolorum Romae ad diem* xxv. *aprilis inſtituto*, in quo id contendit, feſtum hoc inſtitutum fuiſſe in honorem *adventus Principis Apoſtolorum in Urbem*, non autem anniverſarium fuiſſe dedicationis Baſilicae Vaticanae, quod quidem memoratur in Sacramentario Leoniano apud Muratorium (Tom. I. *Liturg. Roman.* pag. 308. Venetiis 1748.), ubi ad menſem aprilis haec habentur: IN DEDICATIONE. *Deus, qui beati Petri Apoſtoli dignitatem ubique facis eſſe glorioſam: praeſta, quaeſumus, ut & doctrina ſemper ipſius foveamur, & meritis. Per &c. Suſcipe, Domine, quaeſumus, hoſtias, quas maieſtati tuae in honore beati Petri Apoſtoli, cui haec eſt baſilica ſacrata, deferimus, & eius precibus nos tuere &c.* Sane Sacramentarium hoc Leonianum antea publici iuris fecerat vir cl. Ioſephus Blanchinius Romani Oratorii Presbyter ex codice Bibliothecae Collegii Canonicorum Veronenſium, cui olim ipſe adſcribebatur, atque eidem locum dederat in Prolegomenis ad Tom. IV. Anaſtaſii Bibliothecarii, quo loco ad verba IN DEDICATIONE hanc adpoſuit adnotationem: *Verba* „ in dedicatione „ *ſcripta videntur in margine ab alio Antiquario*, quae a Muratorio quinetiam adducta eſt; licet dein hanc ſententiam Blanchinius reiecerit, & ingenue faſſus fuerit (*in mendis corrigendis ad finem Prolegom.* citat. Tom. IV.) illa eadem verba *in dedicatione* ab eo, qui totum exaravit codicem, Amanuenſi fuiſſe depicta. Ad hanc tamen emendationem minime animum advertit Muratorius, qui laudatam adnotationem in ſuam etiam poſteriorem editionem recepit. Quare ex citato loco id colligi poſſe videtur, ad diem xxv. aprilis tunc temporis, nempe ante exitum ſaeculi V., Romae feſtum dedicationis Baſilicae Principis Apoſtolorum recurriſſe, quod dein ad diem XIIII. kal. decembris notatur in Kalendario praefixo *Reſponſoriali, & Antiphonario* ſaeculo XII. exarato ad uſum Canonicorum eiuſdem Baſilicae, & a pientiſſimo Cardinali Ioſepho M. Thomaſio edito, To. IV. *Oper.* pag. 15. Romanae edit. cl. Antonii Franciſci Vezzoſii Clerici Regularis. Quomodocumque autem res ſe habeat, illud tamen certum eſt, factum fuiſſe in Urbe ſolemnem diem xxv. aprilis ob antiquiſſimam ſtationem, quae eo recurrente in Baſilica Vaticana habebatur, & in cuius agendae limine, nimirum *in atrio* eiuſdem Baſilicae, nomen & invocatio B. Petri duabus orationibus uſurpabatur, quarum formula conſuli poterit in *Orationali* a Thomaſio Card. edito, Tom. II. *Oper.* pag. 497. Haec ſane ſolemnitas inclaruit nomine *Litaniae maioris*, quae dein ab aliis Eccleſiis adſcita per Occidentem id confecit, ut fere in Romana Eccleſia, & in Vaticana ipſa Baſilica veteris ſolemnitatis memoria delere-

ſolet: In hac proceſſus alter veſpertinus ſolius Vaticani Cleri ipſo Dominicae reſurrectionis die peragitur (*a*); tum & in coena Domini annua ablutio altaris maioris, quod ſacratiſſimae Principis Apoſtolorum Confeſſioni ſuperimpoſitum habetur (*b*): In

leretur, ſive dedicationem eiuſdem Baſilicae, ut noſtra fert opinio, ſive Beati Petri in Urbem adventum, ut cenſet Morettius, reſpiceret. Cumque multo poſt S. Gregorii Magni tempora diei xxv. aprilis S. Marci Evangeliſtae feſtum adſignatum fuerit, ex eo inſuper factum eſt, ut ſaeculo vII. exacto primigeniae celebrationis memoria oblitterari inceperit, & memoratatum quoque precum recitatio lapſu temporis obſoleverit. Ceterum veteris feſtivitatis veſtigium in Baſilica Vaticana adſervatum ex eo cognoſci poteſt, quod *Litania maior* adhuc ſuperſit, quae licet quoad *collectae* locum mutationem aliquam paſſa fuerit (cum nimirum Clerus olim *collectam*, ſeu conventum faceret *ad S. Laurentium in Lucina*, unde, ut patet ex Thomaſiano *Orationali* p. 497., per portam Flaminiam exiens, & ad pontem Milvium procedens ad Vaticanam Baſilicam veniebat, nunc vero faciat in Eccleſia S. Marci), tamen in eo ſemper invariabilis fuit, quod non aliam metam, quam Vaticanam Baſilicam ad haec uſque tempora habuerit. Tum praeterea publicus, & ſolemnis ritus adhuc ſervatus die xxv. aprilis diſtribuendi in eadem Baſilica presbyterium Clero Romano, qui proceſſui interfuit (licet nunc Miſſae ſacrificio, quod olim fiebat in ſtationibus, quodque etiamnum a Vaticanae Baſilicae Clero celebratur poſt proceſſum, Clerus Romanus non interſit) ſatis aperte oſtendit, antiquiſſimis temporibus hoc die feſtum aliquod ſolemne in laudata Baſilica exſtitiſſe.

(*a*) Nos firma ſpe nitimur, fore, ut ritus huiuſce veſpertini proceſſus, luculenta inluſtratione exponatur cura, ſtudioque Philippi Laurentii Dionyſii eiuſdem Baſilicae Beneficiarii ſane eruditiſſimi. Elaboratam enim iam habet hac de re diſſertationem, ad quam edendam nos ſtimulos ipſi addete non ceſſavimus.

(*b*) Vetuſtiſſimus eſt apud Graecos ritus ſpoliandi, & abluendi altaria, qui nempe memoretur a Sancto Saba, qui e vita deceſſit anno ccccli. in eius typico, ſive ordine eccleſiaſtici officii. Fluxiſſe autem ab Oriente in Occidentem inde eruitur, quod S. Iſidorus Hiſpalenſis Epiſcopus, qui obiit anno ıↄcxxxvi., primus exſtitit inter Latinos, qui diſerte meminit huius moris tamquam ſuo aevo communiter recepti (Lib. I. *de Eccleſ. Offic.* cap. 28. *de Coena Domini*). Iampridem ſane hic ipſe ritus ſervatus cernitur in Baſilica Vaticana, de quo opuſculum edidit Ioſephus Maria Suareſius Romae an. cıↄıↄclxxvi, tum alterum longe locupletius dein protulit Ioh. Chriſtophorus Battellius anno cıↄıↄccıI., hoc appoſito titulo: *Ritus annuae ablutionis altaris maioris ſacroſanctae Baſilicae Vaticanae*

In hac tandem alii ritus ſancte cuſtodiuntur, qui nos veluti ad primaeva Eccleſiae ſaecula, & plena myſteriorum inſtituta
k transſ-

ticanae in die coenae Domini. Nonnulla etiam de hoc ritu attigit deinceps Iohan. Franciſcus Baldinius Cler. Reg. Congregationis Somaſchae in obſervationibus, quas appoſuit ad vitam Gregorii II., quaeque habentur in Tom. IV. Anaſtaſii Bibliothecarii editionis cl. Praeſulis Franciſ. Blanchinii p. 178. Nemo tamen ex hiſce ſcriptoribus animadvertit, illud de hoc ritu, quod licet nunc feria V. in coena Domini poſt nocturnorum, & matutini ſolemnem recitationem perſolvatur, atque olim etiam hac ipſa die perageretur, ut conſtat ex Ordine Romano edito a Melchiore Hittorpio, & a Battellio pag. 107. citato, tamen intermedium exſtiterit tempus, in quo huiuſmodi ritum Baſilicae Vaticanae Clerus obire conſueverat ſequenti feria VI. maioris hebdomadae. Battellius quidem alia congerit exempla, quibus oſtenditur, hunc ipſum ritum in aliis extra Romam eccleſiis feria VI. confectum fuiſſe. Nimirum in ms. codice, qui exaratus apparet initio ſaeculi XVI., quique in Archivo ſecretiori Vaticano (plut. VII. *Miſcel.* Tom. XLII. pag. 26. t.) adſervatur, praeter Nicolai III. conſtitutionem pro Vaticano Canonicorum Collegio conditam, editamque Tom. I. *Bullarii Vaticani* p. 177., habentur variae ordinationes, atque ſtatuta ab eodem Collegio obſervanda, ac praeſertim, quae diverſas functiones, & emolumenta reſpiciunt, ac proinde haec inter ea potiſſimum legenda occurrunt: *Item feria VI. maioris hebdomadae, quando ſpoliatur altare, dictus Dominus Epiſcopus* [Portuenſis] *conſuevit ſolvere vinum graecum, de quo lavatur altare praedictum, & per ſe ſi praeſens fuerit, vel per ſubſtitutum Epiſcopum diebus, quibus oblationes huiuſmodi recipit, facere officium Baſilicae celebrari, ut ſicut in emolumento oblationis D. N. Papae ſuccedit, ſuccedat in onere*. Dein ſubſequuntur ordinationes pro ſabbatho ſancto. Quo tempore hic ritus a feria V. ad VI. translatus fuerit, exquirere haud abſurdum erit. Quare duo nunc obſervanda occurrunt, quorum alterum in eo eſt, utrumque ritum ſpoliandi, & abluendi altare maius ſimul peractum fuiſse in Baſilica Vaticana feria VI., ut & modo fieri conſuevit feria V., cum tamen in aliis Eccleſiis altare, quod ſpoliabatur feria V., feria VI. ablueretur. Adeſt hac de re Ruperti Abbatis Tuitienſis, qui obiit anno CIↃCXXXV., teſtimonium (*de divin. offic.* lib. V. cap. 31.), quod ita ſe habet: *Sciendum autem, quod rectius faciant hi, quos & nos imitamur, & ordini evangelico magis eorum propinquat conſuetudo, qui hodie quidem, ideſt feria V. altaria nudant, nam hac feria V. coepit quidem Dominus ad veſperam agonizare, ſed feria VI. ſanguinem, & aquam de latere ſuo lanceatus effudit. Idcirco & cum cantu ad paſſionem pertinente, vel cum pſalmodia poenitentiali lavare conſuevimus*. Quod quidem inſuper obſervandum nobis propoſuimus, in eo eſt, Battellii aſſertionem (pag. 4.), qua nobis ingerit, recentem caerimoniam ex

transferre videantur, quoſque ſilentio modo praeterire nos deceat, ut ad eum, quem opportune exponendum ſuſcepimus, ſine mora properemus.

Saepe

ex maiorum traditionibus, & peculiari decreto Emi Archipresbyteri edito an.1635., eo ferme ritu, quem mox deſcripturi ſumus, peragi ſolere, facile id ſuadere poſſe, ritum antea feria v. peractum, tum dein in feriam vi. translatum in deſuetudinem abiiſſe, qui dein integratus anno cIↃIↃcxxxv. feria v., illi nempe feriae, quam innuebat antiquus Ordo Romanus a Battellio citatus, aſſignatus fuerit. Verumtamen nobis nunc liceat, nonnulla, quae in Battellii opuſculo deſiderantur, ad huius ritus inluſtrationem, de qua eſt etiam Franciſci Orlendii opuſculum alterum inſcriptum: *Duplex lavacrum in coena Domini fidelibus exhibitum; alterum ex Chriſti mandato de ſacra pedum lotione: alterum ex veteri Eccleſiae diſciplina de expiandis altaribus* anno 1704. Florentiae editum, heic ſummatim attingere. Duo ſiquidem exempla potiſſimum adducemus, ex quibus pateat, hunc ritum alibi quinetiam fieri conſueviſſe, quaeque nimirum ceteris a Battellio prolatis accenſeantur. Primum quidem eſt Eccleſiae Beneventanae, in qua ſcilicet hic ipſe ritus inſtauratus eſt feria v. a religioſiſſimo eiuſdem Archiepiſcopo Vincentio M. Urſinio, qui dein ſummo Sacerdotio auctus Benedictus XIII. dictus eſt, ut diſcere cuique licebit ex opere, quod inſcribitur: *Il Seminariſta iſtruito nelle funzioni eccleſiaſtiche* Par. II. p. 216. *Benevento* 1757. Quod eo libentius memoro, quo Urſinianae pietatis exempla renovata intueor ab ampliſſimo, pientiſſimoque S.R.E. Cardinali Franciſco M. Banditio Ariminenſi, qui ſane pari doctrinae, providentiae, & in ſacris caerimoniis obeundis ſollicitudinis ſplendore, atque commendatione inluſtrem illam Eccleſiam nunc moderatur; quarum omnium rerum inſpectorem fuiſſe me anno cIↃIↃccLxxvII., cum Beneventum repetii, ſuaviſſime recordor. Alterum vero ad Eccleſiam Biſuntinam pertinet, in cuius nempe Epiſtolario, & Antiphonario, quod membrana exaratum ſaeculo xI. temporibus Archiepiſc. Hugonis electi an. MXXXI. adſervatur in Archivo Eccleſiae Cathedralis Veliternae, feria v. in coena Domini haec leguntur: *Poſt expletionem miſſae deſcendat pontifex in ſacrarium . . . . Poſtea ſeniores eant refectorium. Interim ut comederint, denudentur altaria, & praeparetur aqua ad abluenda altaria ſive vinum ſive pigmentum. Cum ſurrexerint ſeniores a refectione, praecingat ſe epiſcopus, vel ipſi ſacerdotes, quibus ipſe iuſſerit, ut abluantur altaria, & interim cantant ſeniores communiter in choro* „ ℟. Circumdederunt. & „ TR. Qui habitat. TR. De neceſſi„ tatibus. TR. Domine non ſecun„ dum „. Tandem in *Ordine officiorum Eccleſiae Senenſis*, qui auctorem habet Odericum eiuſdem Eccleſiae Canonicum anno cIↃccxII., quemque publici iuris fecit erudititiſſimus, noſtrique amiciſſimus vir Iohan. Chryſoſtomus Trombellius Can. Reg. S. Salvatoris (Part. I. cap. 152.

Saepe numero incidit in hoc ipſo, quem nunc exaramus, Commentario ſermo de cultu, quem veneranda Crucis imago ſibi vindicavit tot multiplicibus formis, quibus eam ſibi fideles omnes exhibere, & parare conſueverant. Ethnicorum exprobrationes, quas novimus, eae ſunt, quae ſufficiant ad huius cultus penes Chriſtianos vetuſtatem, & perennitatem aſſerendam. Conſulat, qui eas cognoſcere velit, Tertullianum *(a)*, Minucium Felicem (*b*), alioſque, quorum ſunt luculentiſsima teſtimonia. Quamquam vero veteres Apologiſtae hunc cultum inficias iverint, ac Tertullianus(*c*) huius

k 2 cul-

cap.152.pag.132. & ſeq. Bononiae 1766.) poſt altarium denudationem haec ſubdita occurrunt: *Nota quia in quibuſdam eccleſiis altaria vino, & aqua lavantur, ad ſignificandum quod de latere Chriſti fluxere ſanguis & aqua, vel ut oſtendatur quod non Iohannis, ſed ſuo baptiſmo Chriſtus fuit baptizatus .... In eccleſia vero noſtra nec altaria vel parietes, nec templi pavimenta lavari conſueverunt*. Verum inſuper caſtigandus a nobis eſt Suareſius ipſe, qui hunc ritum nunc peragi ait *ad altare ſuper Apoſtolorum confeſſionem exſtructum*; cum accuratius Battellius fieri dixerit *ablutionem altaris maioris ſupra ſacram Beati Petri confeſſionem exſtructi*. Firmum enim, ratumque tandem eſſe debet, aram maximam Baſilicae Vaticanae, ipſamque Baſilicam Deo in honorem unius Principis Apoſtolorum Petri, non autem utriuſque, Petri nempe, & Paulli dicatam eſſe, quod monere ſaepius, atque ad ſatietatem ingerere praeſtat, ne vetus traditio tenebris offundatur; cum praeſertim & nos oppido piguerit, in quibuſdam theſibus *de Liminibus Apoſtolorum* anno MDCCLXXV. Romae editis haec ipſa perturbata, & permixta fuiſſe, tota nimirum vetuſtate reclamante, dum Baſilica Sancti Paulli in via Oſtienſi veteri minuitur praerogativa, qua unum ex duobus Apoſtolorum liminibus, quod nempe ſit *ſacrata corpore Paulli*, eoque integro, non autem dimidiato, ſemper audiviſſe certum eſt. Sed haec nec huius loci, nec temporis ſunt.

(*a*) *Apologet. adver. Gentes* cap. XVI. pag. 18. Venetiis 1701.

(*b*) In *Octavio* pag. 88. & 105. Lugduni Batavorum 1672.

(*c*) Loc. cit. *Sed & qui Crucis nos religioſos putat, conſectaneus erit noſter, cum lignum aliquod propitiatur: viderit habitus, dum materiae qualitas eadem ſit: viderit forma, dum idipſum Dei corpus ſit. Et tamen quanto diſtinguitur a Crucis ſtipite Pallas Attica, & Ceres Farrea, quae ſine effigie rudi palo, & informi ligno proſtant? Pars Crucis eſt omne robur, quod erecta ſtatione defigitur, nos ſi forte, integrum, & totum Deum colimus. Diximus originem Deorum veſtrorum a plaſtis de Cruce induci. Sed & victorias adoratis, cum in trophaeis Cruces inteſtina ſint trophaeorum*.

cultus notam in Ethnicos ipſos retorſerit, tum & Minucius perſpicue affirmaverit, Chriſtianos *Cruces nec colere*, *nec optare* (*a*); tamen haec non ea ſunt, quae veritatem, puritatemque Chriſtianorum religionis, & cultus in Crucem ſuſtollant; cum ſuperſtitionem, ſive materialem devotionem, quae in re ipſa conquieſceret, nec ad Deum referretur, quaeque ſcilicet perperam a Gentilibus obiiciebatur, dumtaxat propulſare iidem intelligerent (*b*). Id enim animadvertere opus eſt, Chriſtianorum

(*a*) Lib. cit. pag. 284. *Cruces etiam nec colimus, nec optamus. Vos plane qui ligneos Deos conſecratis, Cruces ligneas, ut Deorum veſtrorum partes forſitan adoratis. Nam & ſigna ipſa, & cantabra, & vexilla caſtrorum, quid aliud quam inauratae Cruces ſunt & ornatae? Tropaea veſtra victricia non tantum ſimplicis Crucis faciem, verum & affixi hominis imitantur*: Quid *cantabra* hoc in loco denotent, adeat lector Syntagma *de Cruce* Ioh. Matthaei Wackerii, de quo mentio fit in adnotatione Wawerii ad allata Minucii verba.

(*b*) Vide in hanc rem Diatribam *de inventione*, *& cultu verae Crucis D. N. I. C.* adverſus Henricum Kippingium, alioſque, editam a cl. Philippo Venutio ad calcem Diſs. ſane eruditiſſimae *de Cruce Cortonenſi*. Huc ſpectant aliae Gentilium accuſationes, quas veteres Chriſtiani in nominibus ludere quodammodo videbantur, ne, ſi aperte reſponderent, Chriſtianae religionis myſteria forte non intellecta Ethnicorum irriſioni exponerentur. Negabant enim *Templa* Chriſtianis eſſe, quod ſacras aedes ſuas *Eccleſias* aliiſque nominibus appellarent, non vero *Templa*, cum nomen hoc apud ipſos idololatricum quid redoleret. Hinc S. Hieronymus de Iuliano *adv. Vigilantium* narrat ipſum Baſilicas, ſeu Eccleſias Chriſtianorum deſtruxiſſe, aut in *Templa* convertiſſe. *Templi* autem appellationem ad deſignandas Chiſtianorum Eccleſias primum S. Ambroſium uſurpaſſe Gothofredus adnotavit ad tit. *de Pagan.* Lib. XVI. *Cod. Theodoſ.* Eadem de cauſſa neque *aras* ſe habere dicebant, vel quia tunc temporarias tenerent, non perpetuas, vel quia *menſae* potius quam *altaria* apud ipſos audiebant. Idem de imaginibus affirmabant, imo & a thure etiam adolendo ſe abſtinere profitebantur, quod procul abeſſent ab opinione Gentilium, qui exiſtimabant conſecratione, & dedicatione vel fieri ſubſtantiae ipſarum commutationem, vel divinitatis infuſionem in Idola: *Ecce funditur* (ſic de Idolo apud Minucium Felicem *in Octav.* pag. 220. Lugdun. Batav. 1672.) *fabricatur*, *ſcalpitur*: *nondum Deus eſt*. *Ecce plumbatur*, *conſtruitur*, *erigitur*: *nec adhuc Deus eſt*. *Ecce ornatur*, *conſecratur*, *oratur*, *tunc poſtremo Deus eſt*; *cum homo illum voluit*, *& dedicavit*. Sapienter tandem Tertullianus *de coron. militum cap.* X. de thuris uſu rem conficit hiſce verbis: *Arabiae aliquid incendo*, *ſed non eodem ritu*, *nec eodem habitu*, *nec eodem apparatu*, *quo agitur apud Idola*.

norum cultum in Crucem non fuiſſe latreuticam adorationem, qua nimirum Idololatrae inanimata ipſa elementa proſequebantur, ſed eius generis, quod relationis dicitur, quodque cultores ad prototypum ſpiritu elevandos ſuſciperet. Reverebantur fideles Crucis ſignum, nec ideo reverebantur, ut pietatem locarent in marmore, aere, argento, auro, & ligno, quod Crucem referret, ſed ut ex materia ſic conformata occaſionem arriperent convertendi ſeſe ad Ieſum Chriſtum in Cruce pro nobis ſuſpenſum, quem poſtea ut Redemptorem, mediatoremque apud Deum recolerent.

Poſtquam vero e cryptis, ac coemeteriis Conſtantini Magni providentia in apertam lucem ſignum fidei noſtrae emerſit, & pientiſſima eius Mater Helena Hieroſolymis abditum ipſum Crucis lignum detexit, ita Crucis cultus amplificatus eſt, adeoque ſolemniter ubicumque receptus, ut neceſſe fuerit leges edere, quibus ne locis indignis inſculperetur Crucis ſignum caveretur (*a*). Illud vero admiratione dignum videri poterit, Iconomachos, qui ſacras imagines oppugnarunt, Cruci

(*a*) Hac de re Theodoſius, & Valentinianus III. Augg. legem tulerunt ad Eudoxium Praetorii Praefectum, quam Codici ſuo inſeruit Iuſtinianus Lib. I. tit. vII. in haec verba: *Cum ſit nobis cura diligens per omnia ſuperni Numinis religionem tueri, ſignum Salvatoris Chriſti nemini licere vel in ſolo, vel in ſilice, vel in marmoribus humi poſitis inſculpere, vel pingere, ſed quocumque reperitur tolli, graviſſima poena multando eo, qui contrarium ſtatutis noſtris tentaverit, ſpecialiter imperamus*. Deſumpta eſt lex ex pietate Helenae Auguſtae, de qua S. Ambroſius in Oratione de obitu Theodoſii ſenioris Aug. haec habet: *Avida mulier* (Helena videlicet) *feſtinavit tangere remedium immortalitatis, metuebat calcare ſacramentum ſalutis*, ideſt, Crucem in terra abſconditam, in qua poſt inventum eius titulum iam conſtabat ipſam Crucem latere. Canon Trullanus LXXIII. legem de Cruce humi non inſculpenda, aut pingenda renovavit anno IↃCXCII. *Cum Crux*, ait, *nobis vivifica ſalutare oſtenderit, nos omnem diligentiam adhibere oportet, ut ei, per quam ab antiquo lapſu ſalvati ſumus, eum quem par eſt honorem habeamus. Quamobrem & mente, & ſermone, & ſenſu adorationem ei tribuentes, Crucis figuras, quae a nonnullis in ſolo ac pavimento fiunt, omnino deleri iubemus, ne incedentium conculcatione victoriae nobis trophaeum iniuria afficiatur. Eos itaque, qui deinceps Crucis ſignum in ſolo conſtruunt, ſegregari decernimus*. Vid. Tom. vII. *Concil. Labb.* edit. Venet. pag. 1382.

ci tantum, quam non refugiebant, pepercisſe. Crux enim & in ipſis Orientalium Imperatorum hac labe infectorum numiſmatibus triumphat (*a*); ac, ſi Claudium Taurinenſem, & ſolos Paullicianos, & Bogomilos, Manichaeorum exſecrandas propagines (*b*), exceperis, ceteros omnes Iconoclaſtas, ſeu imaginum

(*a*) Vide apud cl. Bandurium Tom. II. *Numiſm. Impp.* nummos Imperatorum, qui in ſacras imagines manus intulerunt, nempe pag. 702. Leonis III. Iſauri (hic poſt Philippicum Bardanem primus ſacris imaginibus bellum ſolemniter indixit anno ıɔcccxxvı.); pag. 705. Conſtantini IV. Copronymi; pag. 706. Leonis IV.; pag. 710. Nicephori; pag. 711. Stauracii (huic ſucceſſit Leo V. Armenius, & ipſe Iconoclaſta, ſed Bandurius eius nummos non habet); pag. 715. Michaelis II. Balbi, ex linguae vitio cognominati; & pag. 718. Theophili, in quibus Crux inſculpta, & praeſertim in ſtemmatibus, & globis, non vero aliae ſanctorum imagines. Quare citatus Bandurius pag. 702. nummum, in cuius antica parte exſtant duo Impp. cum inſcriptione: D N LEO ET CONSTANTINVS P F AVG, & in averſa Chriſtus ſedens in cathedra, dextra globum crucigerum, laeva codicem evangeliorum tenens cum lemmate: TIBI SOLI REX REGNANTIVM, ab Octavio Strada, & Du-Cangio Leoni Iſauro, & eius filio Conſtantino Copronymo tributum, verius putat referendum eſſe ad Leonem Philoſophum, & eius filium Conſtantinum. Adeo cultus Crucis ipſis Iconoclaſtis haerebat, ut Copronymus Aug. Conſtantinum Epiſcopum CPolitanum, ſacrarum imaginum cultum palam in Eccleſia ex ambone eiuraturum, prodire iuſſerit cum benedictae Crucis ligno in manibus, utpote etiam apud ipſos ſacroſancto, coram quo peierare erat praevaricatio Chriſtianitatis; & qui id crimen patrabant, *Stauropatae*, nempe Crucis peieratores, dicebantur. Sane ab hoc cultu in ſeptima, & octava Synodo ad adſtruendum alterum erga imagines argumentatum fuit, neque ab ullo Iconoclaſtorum ad Eccleſiam redeuntium Crucis colendae profeſſio a Patribus tunc exacta. Ceterum memoratus Theophilus poſtremus fuit ex Imperatoribus ſacris imaginibus adverſantibus. Is anno ıɔcccxlii. migravit e vita, Michaele filio relicto ſub tutela uxoris Theodorae, quae utpote mulier piiſſima, & ſapientiſſima Iconoclaſmum in Oriente extinxit, & cuius hac de re encomium exſtat apud Graecos in prima Dominica Ieiuniorum, ſeu Quadrageſimae, in qua celebratur *feſtum Orthodoxiae*, ſeu reſtitutionis ſacrarum imaginum. Vide *Officium Quadrageſimae* Graecorum inluſtratum a doctiſs. Angelo Maria Quirinio Ordinis S. Benedicti, poſtea S.R.E. Cardinali Tom. I. pag. 144. & ſeqq. Romae 1721.

(*b*) *Paulliciani*, ſeu *Paullo-Iohannitae* nomen ſortiti ſunt ſaeculo vii. a Paullo, & Iohanne vere natura, & impietate germanis, natione

ginum deſtructores, videas Crucis non inimicos. Praeterquamquod, teſte Nicephoro, eo proceſsit Crucis cultus apud nonnullos, ut in veram idololatriam degeneraverit. Memorat ipſe ſiquidem *Staurolatras*, ſive *Chazinzarios* (*a*), quibus in

tione autem Armenis. Praeter Manichaeiſmum, quem refricabant, aliosque errores, omnem honorem Cruci detrahebant, licet aegri ſibi Crucem quamdam ligneam apponerent, ſed morbo ceſſante frangerent, & conculcarent. Paullicianorum ſoboles fuerunt *Bogomili*, natione Bulgari, qui nomen repetentes a Sclavonica precatione *Boge Po Milui*, Latine *Deus miſerere*, profligatam ubique Iconomachorum haereſim excitarunt ineunte ſaeculo xɪI. Horum dux Baſilius profeſſione medicus, qui ſacris imaginibus, praeſertim Cruci, bellum indixit; ſed tantam impietatem repreſſit Alexius Graecorum Imp., tradens igni Baſilium, & aſſeclas. Bogomili memorantur a Niceta Choniata Acominato in *Panoplia dogmatica* tom. xɪx., qui eſt κατὰ Βογομίλων *de Bogomilis*, ubi ſic legitur: Βόγ μὲν ἡ τῶν Βουλγάρων γλῶσσα καλεῖ τὸν Θεόν· Μιλουῒ δὲ τὸ ἐλέησον· εἴη δ᾽ ἂν Βογόμιλος κατ᾽ αὐτοὺς, ὁ τοῦ Θεοῦ τὸν ἔλεον ἐπισπώμενος. *Deus quidem Bulgarorum lingua* Bog *dicitur*. Milui *vero ſignificat miſerere*. *Fuerit autem ſecundum illos Bogomilus is, qui Dei miſericordiam ſibi attrahit*. Panoplia haec continetur in cod. bombycino Stephani Balutii ſaeculi xɪI., de quo Montfauconius *Palaegraph. Graec.* Lib. ɪv. cap. 9. p. 322. Ceterum erravit Niceta aſſerendo vocem *milui* lingua Bulgarorum ſignificare *miſerere*, cum haec vox eadem lingua *Po Milui* ſcribatur, & τὸ *milui* a Niceta uſurpatum apud Bulgaros imperativo modo *ama tu* denotet.

(*a*) De Chazinzariis, Armenorum prole, quae incepit ſaeculo vɪɪ., haec refert Nicephorus Calliſtus *Eccleſ. Hiſt.* lib. xvɪɪɪ. cap. 54. pag. 1165. edit. Francofurti 1588. Iohanne Langio interprete: *Maxime autem haec retinent, qui apud eos Chanzinzarii nominantur. Factio autem non minima haec dogmatis eorum eſt, Staurolatrae ſcilicet. Chazus namque crux ab eis dicitur* (forte erravit Calliſtus, qui Armenam vocem in Graecum vertit, cum apud Armenos *Chacc* Crux dicatur, non *Chazus*, & Crucis adorator *Zara-chaci*): *propterea quod crucem tantum adorare, & colere dicantur. Qui ſane per omnia illis conſentientes, re eiuſmodi maxime a ſectis talibus, & Iacobitis in primis, diſſentire videntur. Quin & iſti non unam confuſe naturam, ſicut illi, in Chriſto eſſe opinantur, ſed duas, quemadmodum & nos. Ceterum aliam peregrinam impietatem perperam inducunt, quia duas perſonas in uno Chriſto eſſe, fabulantium more, nugantur iuxta Anthropolatram, ideſt, hominem adorantem Neſtorium. Itaut paſſionis tempore, alteram perſonam in cruce paſſam, alteram autem ab ea ſegregatam, ſeorſim ſtetiſſe, paſſioniſque ſpectatricem fuiſſe dicant*. De aliis erroribus Armenorum circa Crucem, videat, qui voluerit, *Collectanea de quibuſdam haereſibus, earumque aucto-*

in more erat ſolam Crucem, materiam nempe, citra omnem ad Deum reſpectum, adorare. Nimio erga Crucem cultu iſti peccabant, ut ceteri Novatores neglectu, & inobſervantia erga ipſam aberrant (*a*). Quare dum Concilium VII. oecumenicum, ſive Nicaenum II., anno IↃCCLXXXVII. celebratum, ut ſacris imaginibus cultus aſſereretur (*b*), anathema annunciavit *his*, *qui accipiunt ſacrae ſcripturae dicta adverſus idola in venerandas imagines .... ei*, *qui non ſalutat ſacras imagines ... his*, *qui ſacras imagines idola vocant*, item anathema dixit *his*, *qui dicunt Chriſtianos accedere ad imagines*, *tamquam ad Deos*. Certe quidem imaginum, & Crucis cultus tunc temporis adeo ſapienter, & recte declaratus fuit, ut citra contumaciam huiuſmodi ſanctionibus refragari non poſsint Novatores (*c*), nec citra

auctoribus : opus anonymum ſaeculi IX., inſertum in *Theſauro Monumentor. Eccleſiaſticor.* Henrici Caniſii Tom. II. Part. III. pag. 49. edit. Iacobi Baſnagii Amſtelodami 1725. *Crucem* (ſic in eo legitur) *ex materia factam*, *quaecumque illa ſit*, *non prius colunt*, *quam baptizent ceu hominem*, *clavum figant*, *& ſanguine hoſtiae tingant* ..... *Tres cruces faciunt*, *quas iungunt*, *& nectunt inter ſe*, *vocantque Trinitatem*; *quaſi divina natura paſſa ſit*, *aut quaſi ulla poſſit eſſe imago Triadis*.

(*a*) Ad rem S.Epiphanius *adv. Haereſes* lib. III. tom.II. haereſ. LIX. ſive LXXIX. Tom.I. *Oper.* pag.1057. Coloniae 1682. de Haereticis *Collyridianis*, qui ſaeculo IV.in Arabia primum, deinde alibi per mulieres Mariae, tamquam Deae, collyridem, ſeu placentam panis in ſacrificium offerebant, haec adnotat : *Nam & paullo ante*, *qui ſuperiorem illam ſectam amplexi ſunt* (loquitur de haereſi *Antidicomarianitarum*, qui eo temeritatis progreſſi ſunt, ut puriſſimam, ſanctiſſimamque Dei genitricem poſt Chriſtum in lucem editum cum viro ſuo Ioſepho conſuetudinem habuiſſe dicerent) *contumelioſas in B.Virginem opiniones hominum ingeniis aſperſerunt*, *ſic iſti contrariam in partem declinantes*, *extremam in noxam*, *ac perniciem inciderunt* : *ut Gentilium Philoſophorum celebre illud dictum in ipſis comprobetur*; extremitates aequalitates eſſe. *Siquidem par & idem ex ambabus haereſibus detrimentum accidit* : *cum alii ſacroſanctae Virginis dignitatem elevent*; *alii praeter modum*, *ac rationem attollant*.

(*b*) Act.VIII.pag.1243.Tom.VIII. *Concil. Labb.* edit.Venet.

(*c*) Iconomachiae poſtulati ſunt aliquando Waldenſes, poſtulatus Hieronymus Pragenſis, & Iohannes Wicleffus, ſed quem conſtat hac in re Catholicae Eccleſiae conſenſiſſe, perinde ut Hieronymi Pragenſis magiſtrum Iohannem Hus. Saeculo XVI. ſacris imaginibus, ipſo Luthero refragante, bellum indixit Andreas Carolſtadius, Archidia-

citra iniuriam nos inſimulari ab ipſis nunc contingat. *Definivimus* [tunc pronunciarunt (*a*) ſapientiſsimi illi Patres] *in omni certitudine, ac diligentia, ſicut figuram precioſae, ac vivificae Crucis, ita venerabiles, ac ſanctas imagines proponendas, tam quae de coloribus, & teſſellis, quam quae ex alia materia congruenter in ſanctis Dei eccleſiis, & ſacris vaſis, & veſtibus, & in parietibus, ac tabulis, domibus, & viis: tam videlicet imaginem Domini Dei, & Salvatoris noſtri I. C., quam intemeratae Dominicae noſtrae ſanctae Dei genitricis, honorabiliumque angelorum, & omnium ſanctorum ſimul & almorum virorum. Quanto enim frequentius per imaginalem formationem videntur, tanto qui has contemplantur, alacrius eriguntur ad primitivorum earum memoriam, & deſiderium, ad oſculum, & ad honorariam his adorationem tribuendam* (*b*). *Non tamen ad veram latriam, quae ſecundum fidem*

I

chidiaconus Wittenbergenſis, coniugatorum Sacerdotum anteſignanus; hunc porro ſequuti ſunt Zuingliani, Calviniſtae, Sociniani, aliique aevo noſtro ſuperſtites Iconomachi.

(*a*) Act. vII. pag. 1206. Tom. cit.

(*b*) Hadrianus I. Papa in celebri epiſtola ad Carolum Regem Francorum, qua confutantur illi, qui Synodum Nicaenam ſecundam oppugnarunt, praeſertim de uſu, & cultu ſacrarum imaginum, apud Labbeum Tom. vIII. *Concilior.* edit. Venet. pag. 1598., *oſculum, & honorabilem ſalutationem* ſacris imaginibus recte deferri adfirmat. Sane pedis, manuſve deoſculatio, pietatis, obſequii, benevolentiae indicium penes omnes nationes habita eſt. Vide Ioſephum Stephanum Valentinum *de oſculatione pedum Rom. Pont.* Romae 1588., & Antonii Mazzaronii libellum de eodem argumento, Romae excuſum 1609., tum & Diſſertationem Iohannis Frontonis *de cultu Sanctorum, & imaginum, & reliquiarum: & de adoratione veterum ritibus* editam ad calcem Kalendarii Romani, Pariſiis 1652., qua luculenter demonſtrat adorationem ab antiquiſſimis uſque temporibus duobus conſtaſſe, oſculo, & inclinatione, ſeu proſtratione corporis. Quae duo ita adorationem continebant, ut etiam alterum ſine altero pro adoratione frequenter ponatur. Hic ritus erga Crucem primum adhibitus cum vero ipſius ligno, deinde tranſiit ad effigiem, & adhuc ſancte ſervatur in ſolemni adoratione Crucis die paraſcevis: cumque tractu temporis Rom. Pontifices indulgentias ſignis quibuſdam ſenſibilibus affigere paſſim ceperunt, Crucibus nempe, Chriſti crucifixi imaginibus, numiſmatibus, aliiſque rebus, hinc Crucis deoſculatio extra memoratum diem non ſimplicis obſequii gratia a fidelibus peracta credi poteſt, ſed quia illi indulgentia aliqua habebatur addicta. Quo vero tem-

fidem eſt, quaeque ſolam Divinam naturam decet, impartiendam: itaut iſtis, ſicut figurae precioſae, ac vivificae Crucis, & ſanctis evangeliis, & reliquis ſacris monumentis, incenſorum, & luminum oblatio ad harum honorem efficiendum exhibeatur, quemadmodum & antiquis piae conſuetudinis erat. Imaginis enim honor ad primitivum tranſit: & qui adorat imaginem, adorat in ea depicti ſubſiſtentiam. Sic enim robur obtinet ſanctorum Patrum noſtrorum doctrina, ideſt traditio ſanctae catholicae eccleſiae, quae a finibus uſque ad fines terrae ſuſcepit evangelium (a).

Hac

tempore id evenerit, quaerit Ioſephus Silos in *Hiſt. Cleric. Regul.* To. I. lib. x. Romae 1650., qui putat hanc religionem referendam eſſe temporibus Paulli IV; non inficiatur tamen; poſſe hoc Pontifice antiquiorem haberi, nec diverſimode ſenſit Euſebius Amortius in *Hiſt. indulgentiar.* Part. iI. ſect. 2. num. 24. pag. 225. Venetiis 1738. Hoc in opere Part. I. pag. 174. illud memoratu dignum habetur, Sixtum nempe V. anno CIƆIƆLXXXVII. indulgentias nonnullas conceſſiſſe geſtantibus vetera aurea numiſmata tunc reperta penes Lateranenſem Baſilicam, in quibus ex una parte Crucis ſignum, aut imago Cruce inſignita habebatur; ex altera vultus expreſſi Impp. Theodoſii Sen., duorum filiorum eius Arcadii, & Honorii, nec non Theodoſii Iun., Valentiniani III., Marciani, Leonis, Iuſtini, Iuſtiniani, Tiberii, Mauritii, Phocae, & Heraclii.

(a) Huic decreto adhaeſit quoque octava Synodus oecumenica CPolitana IV. habita an. IƆCCCLXIX. can. iI. Actione x. pag. 633. Tom. x. *Concilior.* Labb. edit. Venetae. *Ad hunc modum* (verbis utor Photii in epiſtola, ſeu libro ad Michaelem Bulgariae Principem, qui inſcribitur *de officio Principis* apud Caniſium Part. iI. Tom. iI. *Monum. Eccleſ.* pag. 396) *& venerabilem Crucem adoramus, in qua Domini corpus extendebatur, unde ſanguis ille ebulliit, quo mundus mundabatur: ligni autem natura illius ſtillicidiis irrigata pro morte vitam haud ſeneſcentem egerminavit. Ad hunc modum Crucis adoramus effigiem, per quam agmina daemoniorum effugantur, morbi autem varii perſanantur, nimirum illa gratia & potentia, quae prima vice operata eſt in exemplari, uſque ad imagines, & repraeſentationes cum eademet vi, & operatione progrediente. Singula igitur iſta, hoc eſt, Chriſti imaginem, & ipſammet Crucem, & figuram Crucis, pari modo reverentia & adoratione conſecrantes, non tamen ita cultum circumſcribimus, & ad eadem terminamus, ſed ad illum referimus, & in illo ſacrate ſtatuimus, qui per & propter humani generis amorem abundantiſſimum, & inexplicabilem incarnatus fuit, & ſponte ſua, & voluntate maledictam illam mortem noſtra cauſſa ſubiit.* At haec noſtro ſatis inſtituto. De ea autem, quae apud quoſdam theologos agitatur, controverſia, num ſcilicet ſacrae imagines aliquo ſint peculiari cultu venerandae, qui

in

Hac mente Helenam, & Paullam lignum Crucis Hieroſolymis adoraſſe, teſtes ſunt Ambroſius, & Hieronymus. Ille in concione de obitu Theodoſii ſenioris Aug., habita die XL. ſuae depoſitionis, haec refert de adoratione, quam piiſſima Imperatrix inventae Cruci primum exhibuit (*a*): *Aperit*, inquit, *itaque humum, decutit pulverem, tria patibula confuſa reperit, quae ruina contexerat, inimicus abſconderat. Sed non potuit oblitterari Chriſti triumphus. Incerto haeret ut mulier; ſed certam indaginem ſanctus Spiritus inſpirat, eo quod duo latrones cum Domino crucifixi fuerint. Quaerit ergo medium lignum. Sed poterat fieri, ut patibula inter ſe ruina confunderet, caſus mutaret, & inverteret. Redit ad Evangelii lectionem, invenit, quia in medio patibulo praelatus titulus erat*: Ieſus Nazarenus Rex Iudaeorum. *Hinc collecta eſt ſeries veritatis, titulo crux patuit Salvatoris. Hoc eſt, quod petentibus Iudaeis Pilatus reſpondit*: Quod ſcripſi, ſcripſi: *ideſt, non ea ſcripſi, quae vobis placerent, ſed quae aetas futura cognoſceret; non vobis ſcripſi, ſed poſteritati, propemodum dicens: Habeat Helena, quae legat, unde Crucem Domini recognoſcat. Invenit ergo titulum, Regem adoravit, non lignum utique: quia hic gentilis eſt error, & vanitas impiorum; ſed adoravit illum, qui pependit in ligno, ſcriptus in titulo, illum, inquam, qui ſicut Scarabaeus clamavit, ut perſecutoribus ſuis peccata donaret.* Hieronymus vero in epiſtola ad Euſtochium virginem, iter deſcribens Paullae eius matris iam defunctae, quo peragratis ſacris Iudaeae locis, atque Aegypto Alexandriam uſque, in Bethleem conſedit, de cultu ab eadem praeſtito vivificae Cruci, per quam Amator hominum nos redemit, ſic loquitur (*b*): *Cuncta loca tanto ardore, ac ſtudio circuivit, ut niſi ad reliqua feſtinaret, a pri-*

 mis

in ipſis conſiſtat, & abſolutus ſit, poteſt Lector conſulere Sylvium ad *Theolog. S. Thomae Summam* part. 3. quaeſt. 25. art. 3. quaeſit. 5., Petavium Tom. V. *Theolog. Dogmatic.* lib. 15. cap. 17., & doctiſſimum, noſtrique amantiſſimum Iohannem Chryſoſtomum Trombellium Abbatem Congregationis Rhenanae SS. Salvatoris in Appendice *de Cruce* ad Par. III. Tom II. *de cultu Sanctorum*, Bononiae 1743.

(*a*) Tom. V. *Oper.* pag. 123. Pariſiis 1661.

(*b*) Epiſt. CVIII. Part. II. Tom. I. *Oper.* pag. 697. Venetiis 1766.

mis non poſſet abduci. Proſtrataque ante Crucem, quaſi pendentem Dominum cerneret, adorabat. Ingreſſa ſepulcrum, reſurrectionis oſculabatur lapidem, quem ab oſtio monumenti amoverat Angelus. Et ipſum corporis locum, in quo Dominus iacuerat, quaſi ſitiens deſideratas aquas, fideli ore lambebat.

Sed ligni Crucis adorationi Hieroſolymis ſtatim ab eius inventione dicatus fuit dies *Paraſcevis*, feria nempe VI. hebdomadae (*a*), quam Graeci *magnam*, nos *maiorem* dicimus, ea nimirum, qua fidelibus Eccleſia a primis uſque temporibus Crucis myſterium contemplandum propoſuit. Hinc Conſtantinus Magnus, qui (*b*) *ſuſcepto imperio... nihil egit prius, quam Chriſtianos cultui, ac Deo ſuo reddere*, illud praecepit, ut ad ſalutiferae Paſſionis Dominicae commemorationem ſingulis feriis VI. anni idem cultus, qui Dominicis diebus tribuebatur, concederetur. *Praeterea* [ſic nimirum tradit Sozomenus (*c*)] *die Dominico*

(*a*) A Iudaeis Helleniſtis ſexta dies ſabbathi, ſive hebdomadae (nam tota hebdomada nomine ſabbathi apud antiquos ſignificatur), dicebatur παρασκευὴ, *praeparatio*; quia in illa parabantur omnia, quae victui neceſſaria erant ſequenti ſabbatho, in quo iubebantur quieſcere; ſed apud Chriſtianos *paraſcevis* nomine per excellentiam audiebat ſexta feria hebdomadae maioris, qua Chriſtus comprehenſus fuit a Iudaeis, & crucifixus. Hinc Tertullianus *de Ieiuniis adv. Pſychicos* cap. XIV. ait: *Stationibus quartam, & ſextam ſabbathi dicamus, & ieiuniis paraſceven.* In Capponianis Ruthenis tabulis ad diem XXVI. iulii habetur memoria *ſanctae & venerandae martyris Paraſcevis*, quae ideo *Paraſceve* dicta eſt, quia nata feria ſexta hebdomadae maioris, quod tamen haud notavit Nicolaus Carminius Falconius in Commentario ad memoratas tabulas p. 118. Romae 1755. In libro, quem *de Confeſſione Vatican.* exaravimus, p. 195. inſcriptionem adduximus, cuius initium hoc eſt: NATV SEVERI NOMINE PASCASIVS DIES PASCALES PRID NON APRIL DIE IOBIS &c., ubi *Paſchaſii* nomen a feſtis Paſchalibus, quibus decurrentibus ortus fuerat, deſumptum videtur. Idem forte dicendum de nomine *Epiphanius*, ſeu *Theophanes* ab Epiphaniae feſto die, *Anaſtaſius* ab Anaſtaſi, ſeu feſto reſurrectionis. Sed de iis pluribus egit cl. Vincentius Dominicus Faſſinius ex Ordine Praedicatorum in Diſſert. *de veterum quorumdam Chriſtianorum propriis, ſelectiſque nominibus*, Venetiis 1772., quam conſule.

(*b*) Lactantius *de mortib. perſecutor.* n. XXIV. Vid. quae ad hunc locum docte adnotavit cl. Antoninus Valſecchius ex Ordine Praedicatorum contra Freretium in libro, cui titulus: *La Religione vincitrice* Part. II. pag. 107. Padova 1776.

(*c*) *Hiſt. Eccl.* Lib. I. cap. 8.

nico, quem Hebraei quidem primum ſabbathi appellant, Gentiles vero Soli conſecraverunt; & eo, qui ſabbathum antecedit, cunctos a iudiciis, aliiſque negotiis feriari praecepit, precibuſque, ac ſupplicationibus Deum colere. Ac Dominicum quidem diem ideo honoravit, quod Chriſtus eo die a mortuis ſurrexiſſet; diem vero, qui ſabbathum antecedit, eo quod Chriſtus crucifixus tum fuiſſet. At haec legis ſanctio quoad feriam VI. brevi tempore viguit, de cuius obſervantia nulla quidem in hiſtoriis mentio occurrit. Id unum innotuit, fruſtra operam ſuam navaſſe S. Auxenſium Abbatem prope Conſtantinopolim (*a*) circa ſaeculi V. dimidium, ut ad ſanctificandas ferias VI. fideles a iudiciis, aliiſque negotiis abſtraheret. Ceterum illud obtinuit, & apud nos ex veteri more adhuc ſervatur, ut non ſolum feria VI. maioris hebdomadae, ſed ſingulae in anno recurrentes veluti dies Crucis Dominicae venerationi, & cultui mancipati habeantur, & tamquam ſymbolum paſsionis Salvatoris noſtri ipſa Crux hiſce diebus peculiariter venerata accipiatur (*b*).

Nos vero nunc haud in eo erimus, ut definiamus, utrum carmen *de Paſſione D. N. I. C.* genuinum opus ſit Lactantii Firmiani, an alteri Scriptori ſit tribuendum. Critici ſane in varia feruntur, quique Lactantii eſſe volunt, nonnullos verſus poſte-

(*a*) *Act.SS.* Bolland. XIV. Februar.

(*b*) Pientiſſimus Cardinalis Iohannes Bona lib.I. cap.18.n.4. *rer. Liturg.* pag.216. Venetiis 1764. refert Alcuinum Anglum, Diaconum Eboracenſem, qui in Galliis floruit ad annum ƆCCCIV. quo obiit, ne deeſſent diebus ſingulis propriae Miſſae, Miſſam compoſuiſſe de Trinitate pro die Dominica, pro feria II. de Sapientia, pro feria III. de Spiritu Sancto, pro feria IV. de Caritate, pro feria V. de Angelis, pro feria VI. de Cruce, ac tandem pro ſabbatho de S. Maria. Et hoc ideo factum, teſte Micrologo cap. LX., ſeu libro de Eccleſiaſticis obſervationibus circa an. CIƆLXXXV. collecto, ut Presbyteri illius temporis nuper ad fidem converſi, nondum Eccleſiaſticis officiis inſtructi, neque librorum copia praediti, aliquid ſaltem haberent, quo officium ſuum quolibet die poſſent explere. Etiam in antiquis uſibus Monachorum feria VI. Cruci, vel paſſioni Dominicae mancipata habetur, eo modo, quo feria II. notatur Miſſa pro Defunctis, feria III. de S. Benedicto, ſive de Sancto cuiuſque Congregationis inſtitutore, feria IV. pro Familiaribus, feria V. de Spiritu Sancto, & in ſabbatho de Sancta Maria.

poſteriori manu aſſutos fateri non dubitant (*a*). Ceterum in hoc Carmine, quod ſane remotam redolet vetuſtatem, magna perſpicuitate cultus innuitur, qui non Crucis formae, ſed vero, & vivifico ligno, in quo Chriſtus pro nobis occubuit, tribuebatur. En verſus, qui id potiſsimum denotant:

Flecte genu, lignumque Crucis venerabile adora
Flebilis, innocuo terramque cruore madentem
Ore petens humili lacrimis ſuffunde ſubortis.

Hi ſane verſus huiuſmodi ſunt, ut aperte oſtendant, quo cultus genere vivificum Crucis lignum olim proſequerentur fideles; ut mirum non ſit, ſi intemperantes quidam Critici huiuſmodi carmen ad ſpuria omnino amandent, quo id aſſequuntur, ut facile ſe a luculentiſsimo, quo urgentur, Crucis Dominicae adorationis teſtimonio expediant. Nequicquam. Huiuſmodi ſane cultum obtinuiſſe quis negaverit Hieroſolymis, cum fidelibus publice veneranda Crux proponebatur feria VI. maioris hebdomadae? Hunc ſcilicet ritum, & publicae adorationis morem teſtatur etiam ampliſsimis quidem verbis S.Paullinus, poſtquam pluribus inventionem ſalvificae Crucis expoſuit (*b*). En ipſius verba: *Ergo Crux Domini tot operta aetatibus, & Iudaeis in tempore paſſionis abſcondita, neque gentibus in aedificationem fani terram ſine dubio ad ipſam fabricam egerentibus revelata, nonne manu latuit, ut nunc inveniretur cum religioſe quaereretur? Ita, ut Crucem Chriſti decuit, experimento reſurrectionis inventa, & probata Crux Chriſti eſt* (*c*); *dignoque mox ambitu conſecratur, condita in paſſionis loco baſi-*

(*a*) Vid. Mazochium in Comment. ad *Kalendar. Neapolitan.* pag. 806., & Gorium *de mitrato capite I. C. crucifixi* pag.177. Tom.II. *Crucis Dominicae*.

(*b*) Epiſt. XXXI. al. XI. *ad Sever.*

(*c*) Verba haec ad illud reſpiciunt, quod prius in eadem epiſtola narratur, de mortuo nempe ad Crucis contactum reſuſcitato, per quod miraculum patuit, quaenam ex tribus Crucibus ab Helena repertis eſſet illa, quam Iudaei Salvatori noſtro paraverunt: *Nec mora*, inquit Paullinus, *verbum factum: cadaver illatum eſt; deponitur, iacenti una de Crucibus admovetur, & altera: ſed reorum ligna mors ſprevit. Poſtremo Dominicam Crucem prodit reſurrectio, & ad ſalutaris ligni tactum morte profuga funus excuſſum, & corpus erectum eſt; tremefactiſque viventibus*

baſilica, quae auratis coruſca laquearibus, & aureis dives altaribus, arcano poſitam ſacrario Crucem ſervat: quam Epiſcopus urbis eius quotannis, cum Paſcha Domini agitur, adorandum populo princeps ipſe venerantium promit. Neque praeter hanc diem, qua Crucis ipſius myſterium celebratur, ipſa, quae ſacramentorum cauſſa eſt, quaſi quoddam ſacrae ſolemnitatis inſigne profertur, niſi interdum religioſiſſimi poſtulent, qui hac tantum cauſſa illo peregrinati advenerint, ut ſibi eius revelatio quaſi in pretium longinquae peregrinationis deferatur. Quod ſolum Epiſcopi beneficio obtineri ferunt: cuius & tantum munere de eadem Cruce haec minuta ſacri ligni ad magnam fidei, & benedictionis gratiam haberi datur. Quae quidem Crux in materia inſenſata vim vivam tenens, ita ex illo tempore innumeris pene quotidie hominum votis lignum ſuum commodat, ut detrimenta non ſentiat, & quaſi intacta permaneat quotidie dividua ſumentibus, & ſemper tota venerantibus. Sed iſtam imputribilem virtutem, & indetribilem ſoliditatem de illius profecto carnis ſanguine bibit, quae paſſa mortem non vidit corruptionem. Aſt ſolemnis haec, & praecipua Dominicae Crucis oſtenſio, quam utpote ſua aetate celebrem ad feriam VI. maioris hebdomadae, ſive ad diem, quem *Paſcha Crucis* (*a*) vocat, ob holocauſtum, quod ipſo elucefcente

Homo

tibus ſtetit mortuus, & funeribus, ut Lazarus quondam, vinculis expeditus illico inter exſpectatores ſuos, redivivus inceſſit. Idem miraculum recenſetur a Sulpicio Severo *Hiſt. Eccl.* lib. II. cap. 34., a Socrate *Hiſt. Eccl.* lib. I. cap. 17., qui tamen non de mortuo, ſed de muliere, quae *iam in ipſo mortis articulo erat conſtituta* prodigium refert, ac tandem a Sozomeno *Hiſt. Eccl.* lib. I. cap. 1., qui de mortuo reſuſcitato, & de nobili muliere ab inſanabili morbo liberara mentionem adeo apertam ingerit, ut conſtet utrumque prodigium, tum illud a Paullino, & Severo narratum, tum aliud a Socrate memoratum.

(*a*) Eodem vocabulo utitur Sanctus Hieronymus in cap. IV. epiſt. *ad Galat.* v. 10. Tom. VII. *Oper.* p. 456. Venetiis 1769. *Nos enim*, inquit, *non azymorum Paſcha celebramus, ſed Reſurrectionis, & Crucis. Nec ſeptem iuxta mores Iſrael numeramus hebdomadas in Pentecoſte, ſed Spiritus Sancti veneramur adventum.* De aliis ſolemnitatibus, quibus *Paſchae* nomen aliquando inditum apud antiquos habetur, uti *Paſcha Palmarum, Florum*, vel *Petitum, Paſcha Roſata, Paſcha Epiphaniae &c.*, conſulatur Du-Cangius in Gloſs. v. *Paſcha*, qui tamen de *Paſcha Crucis* haud loquitur. Nos de *Paſcha annotino*, ſeu de recurrente die anniver-

Homo Deus abſolvit, ut nos a peccati ſervitute redimeret, peculiariter refert Sanctus Paullinus, etiam diem alterum ſibi uſurpavit poſterioribus temporibus, quo forte piorum, qui data opera Hieroſolymas petebant, commodo & devotioni facilius conſuleretur. Sanctus Gregorius Turonenſis, qui diem obiit ann. IↃXCV., ſcilicet CLXIV. annos poſt Sanctum Paullinum, teſtis nobis eſt, etiam aetate ſua Hieroſolymis & feria IV., & feria VI. Crucis oſtenſionem peractam fuiſſe (*a*): *Crux Dominica* [inquit], *quae ab Helena Auguſta reperta eſt Hieroſolymis, ita quarta, & ſexta feria adoratur*. Nimis ſane conciſus eſt hic locus, quominus tuto affirmari poſsit, an hic ritus ſola maiore hebdomada, an unaquaque uſurparetur; quod tamen haud veriſimile videtur; cum teſtimonia deſiderentur, tum ipſe S. Paullinus teſtetur praeter ſolemnem oſtenſionem alias etiam intra annum in advenarum, & peregrinorum gratiam factas fuiſſe. Pluribus aliis quidem diebus iteratam huiuſmodi caerimoniam, poſtquam imperante Heraclio, Hieroſolymis potior vitalis ligni pars CPolim translata eſt in templum S. Sophiae, Beda nobis fidem facit, qui feria V. & VI., & ſabbatho ſancto quinetiam celebratam aſſerit. *Haec* [ſequitur ipſius locus (*b*), quem ex eo ſuperius adduximus] *tribus tantum per annum diebus; hoc eſt coena Domini, in Paraſceve, & in Sabbatho ſancto, populis adoranda profertur: quarum prima capſa illa ſuper altare aureum duos cubitos altitudinis, & unum latitudinis habens cum Cruce ſancta patefacta componitur, accedenſque primus Imperator, deinde cunctus per ordinem laicorum gradus ſanctam Crucem adorat, & oſculatur: ſequenti die Imperatrix, & omnes matronae, vel virgines idem faciunt: tertia nihilominus die Epiſcopi, & cuncti Clericorum gradus idem faciunt, & ſic capſa recluſa ad ſupradictum armarium reportatur*. Narrat deinde Beda mirificum odorem, quem ligna Dominicae Crucis CPoli halabant, tum & liquorem, quem ex nodis fundebant. Sed praeſtat haec intelligere ex libro *de Locis*

niverſario baptiſmatis, nonnulla attigimus in notis ad Opuſculum Cardinalis Valerii *de Benedictione Agnorum Dei*, pag. XLI.

(*a*) *De Glor. MM.* lib. I. cap. 5.

(*b*) Cap. XX. *de Locis ſanctis* To. III. *Oper.* pag. 370.

Locis ſanctis, auctore Adamnano Abbate Hiienſis monaſterii, ſeu Sancti Columbae, olim ſiti in inſula Hii, contermina Hiberniae, ac provinciae Pictorum, ſeu Scotiae, uti noſtro aevo appellatur, qui floruit ſub finem ſaeculi ſeptimi, obiitque circa annum IϽCCV. Eius opuſculum *de Locis ſanctis* integram fidem meretur, cum illud exaraverit, docente, & dictante Epiſcopo Arculfo, qui ſancta loca, & Conſtantinopolim inviſit. *Scripſit idem vir*, ait Beda (*a*), *de locis ſanctis librum legentibus multum utiliſſimum, cuius auctor erat docendo, & dictando Galliarum Epiſcopus Arculfus, qui locorum gratia ſanctorum venerat Hieroſolymam, & luſtrata omni terra repromiſſionis, Damaſcum quoque, CPolim, Alexandriam, multaſque maris inſulas adierat.* Quin & collatione textuum a nobis facta, patet, Bedam ex Adamnani labore haud pauca in ſuum librum derivaſſe. Haec itaque Adamnanus habet ad rem noſtram deſcribens CPolitanum S. Sophiae templum (*b*): *De celeberrima eiuſdem civitatis rotunda mirae magnitudinis lapidea eccleſia* (nempe S. Sophiae) *ſilere non debemus: quae, ut ſanctus Arculfus refert, qui eam non brevi frequentavit tempore, ab imo fundamentorum in tribus conſurgens parietibus, triplex ſupra illos altius ſublimata, rotundiſſima, & nimis pulchra ſimplici conſummatur culminata camera. Haec arcubus ſuffulta grandibus, inter ſingulos ſupra memoratos parietes latum habet ſpatium vel ad inhabitandum, vel ad exorandum Deum aptum, & commodum* (*c*).

m *Inte-*

(*a*) *Hiſt. Eccleſiaſt. gentis Anglor.* Lib. v. cap. 16. Tom. III. *Oper.* p. 132.

(*b*) Lib. III. cap. 4. *de illa Eccleſia, in qua Crux Domini habetur.* Apud Mabillon. *Act. SS. Benedictin.* ſaec. III. part. II. pag. 469. Venetiis 1734.

(*c*) Nimis ieiuna eſt deſcriptio Aedis Sophianae, de cuius amplitudine, & elegantia Graeci, & Latini Scriptores certant inter ſe; verum hac de re conſulatur Ecphraſis magnae Eccleſiae, ſeu Sanctae Sophiae a Paullo Silentiario carmine heroico exarata, & adnotationes ad illam doctiſſimi Du-Cangii Pariſiis 1670. e typographia Regia. Interim paucis rem conficiat Corippus lib IV. v. 280. *de laudibus Iuſtini II.*, ubi de Templo Sophiano a Sophia Iuſtini coniuge inſtaurato:

Rem Sophia dignam certo ſapientia fecit:
Inſtituit pulchrum, ſolidavit robore templum,
Coepit, perfecit, doniſque ornavit, & auxit.

Iam

Interioris domus aquilonari in parte pergrande, & valde pulchrum monſtratur armarium, in quo capſa habetur lignea, quae ſimiliter ligneo ſuperclauditur operculo, in quo ſalutare habetur reconditum Crucis lignum, in quo noſter Salvator pro humani generis ſalute ſuſpenſus paſſus eſt: quae videlicet praedicabilis capſa, ut ſanctus refert Arculfus, in tribus continuis diebus poſt expletum annum ſuper aureum altare cum tali elevatur pretioſo theſauro: quod utique altarium in eadem habetur rotunda eccleſia, duos longitudinis habens cubitos, & unum latitudinis. In ternis, inquam, tantummodo anniverſariis ſibi ſuccedentibus diebus dominica Crux ſuper altare elevata ponitur, hoc eſt in coena Domini, qua die Imperator, & exercitus militum eccleſiam intrantes, & ad illud accedentes altare, aperta illa ſacroſancta capſella, ſalutarem oſculantur Crucem. Primus ante omnes Imperator orbis illam inclinato oſculatur vultu: deinde iuxta conditionum, vel aetatum ordinem unus poſt unum accedens honorabile oſculatur patibulum. Proinde craſtino die, hoc eſt ſexta feria ante Paſcha, reginae, matronae, & omnes populi mulieres, ſupra memorato ordine accedunt cum omni veneratione oſculantes. Tertia die, hoc eſt ſabbatho paſchali, Epiſcopi, & univerſus poſt eum Clerus cum timore, & tremore, & omni honorificentia accedunt ordinatim, victoriale oſculantes lignum in ſua poſitum capſa, finitiſque ſanctis, & laetificis talibus ſacroſanctae Crucis oſculationibus, illa venerabilis capſa ſuperclauditur, & ad ſuum cum tam honorifico theſauro reportatur armarium. Sed & hoc non negligenter intuendum, quod non duo, ſed tria ibidem inſtar crucis habeantur brevia ligna, hoc eſt tranſverſum lignum, & longum, inciſum, & in duas aequas diviſum partes (a)*: e quibus*

Iam Salomoniaci ſileat deſcriptio templi:
Cedant cunctorum miracula nota locorum.
Inclita praeclarum duo ſunt imitantia caelum,
Conſilio fundata Dei: venerabile templum,
Et Sophianarum ſplendentia tecta novarum,
Principis aula, atque aula Dei, &c.

(*a*) Haec reliquiarum pretioſae Crucis deſcriptio perbelle convenit cum teſtimoniis aliorum Scriptorum, qui de ablata primum, & poſtmodum reſtituta a Perſis

bus tripartitis honorificabilibus lignis, quando illa aperitur capſa miri odoris fragrantia, ac ſi omnium florum inibi collectorum mirabili plena ſuavitate exoritur, ſatians, & laetificans omnes in

m 2 *pro-*

Perſis eadem ſalutari Cruce loquentes, eam *vivifica ligna* appellant; fuerat enim Crux in plures partes diviſa uſque ab Helenae temporibus. Chronicon Paſchale a mundo condito ad Heraclii Imp. annum xx. Pariſiis e typographia Regia anno 1688. pag. 385. de Choſroa, qui vivificam Crucem in Perſidem aſportavit, haec habet ad annum iv. Heraclii, Chriſti dcxiv. *Hieruſalem a Perſis capta eſt, multis clericorum, monachorum, ſanctimonialium, & virginum millibus trucidatis. Incenſum etiam Dominicum ſepulcrum, & celeberrima Dei templa, &, ut verbo dicam, pretioſa omnia deſtructa. Veneranda Crucis ligna* (τοῦ σταυροῦ ξύλα) *cum ſacris vaſis innumeris capiuntur a Perſis, & Zacharias Patriarcha captivus abducitur. Atque haec omnia non multa anni parte, nec toto menſe, ſed intra paucos dies contingere.* Theophanes *in Chonogr. a Diocletiano ad Michaelem, & Thophylactum eius filium Impp.* p. 272. Pariſiis e typograph. Regia 1655. de Siroe, qui Choſroa extincto, pacem cum Heraclio compoſuit, narrat, quod *detentos cuſtodiis Chriſtianos, & per univerſam Perſiam captivos, cum Patriarcha Zacharia, & venerandis, ac vivificis lignis* (καὶ ζωοποιοῖς ξύλοις) *Hieroſolymis, cum olim a Sarbaraza caperetur, ſublatis, reſtituit.* Nicephorus Patriarcha CPolitanus in *Breviario Hiſtorico de rebus geſtis ab obitu Mauricii ad Conſtantinum uſque Copronymum* Pariſiis 1648. e typograph. Regia poſt narratam pag. 14. promiſſionem a Siroe factam Heraclio reddendi *vivifica ligna*, haec habet pag. 15.: *Ipſe* (Heraclius nempe) *vivifica ligna* (τὰ ζωοποιὰ ξύλα) *ita uti erant, cum primum capta ſunt, obſignata ſecum deferens, Hieroſolymam perrexit, & Modeſto Patriarchae, eiuſque Clero monſtravit. ab iis integra adhuc ſigna deprehenſa ſunt; intellectumque ſanctiſſima haec ligna neque profanis, ac pollutis manibus attrectata, neque ab illis penitus conſpecta: eoque nomine gratiae Deo, ac laudes perſolutae. Tum Patriarcha clavem, quae apud ſe remanſerat, domo deferens, adorantibus univerſis loculum aperuit. Poſt haec erecta illic Cruce, Imperator eam illico Byzantium remittit. Cui Sergius Patriarcha ex Blachernis, quod templum Dei Matris eſt, cum litaniis obviam proceſſit, & ad maximam Eccleſiam deducens, ibidem illam erexit. Haec omnia indictione ſecunda contigerunt.* Quod hic narrat Nicephorus, adverſatur Theophani, & prochroniſmum eſt annorum fere vi. Siquidem bis CPolim advecta Crux eſt, at Nicephorus utramque translationem promiſcue habuit. Prima translatio accidit anno Heraclii xix., in quem incidit indictio ſecunda, ſimulac a Perſide Crux recepta eſt. Altera cum ab Heraclio aſportata Cruce CPoli Hieroſolymas, ab eodem denuo anno Imperii ſui xxiv. ad urbem eſt remiſſa. De hac duplici translatione teſtis eſt Theophanes, qui ad an. xix. Heraclii

propatulo intra illius eccleſiae parietes interiores poſitos, qui eodem temporis ſpatio intrantes ſtant. Nam de nodis eorumdem trinalium lignorum liquor quidam odorifer, quaſi in ſimilitudinem olei

raclii haec habet pag. 273: *Hoc anno ineunte vere Heraclius Imperator, venerandis, & vivificis lignis ſecum latis, Regina civitate ſolvens Hieroſolymam Deo grates perſoluturus perrexit .... Imperator deinde Hieroſolymam ingreſſus, Patriarcha Zacharia ſede ſua reſtituto, & venerandis, vivificiſque lignis loco ſuo redditis, debitas grates Deo perſolvit*. Ad annum vero XXIV. pag. 280: *Heraclius porro quaſi rebus indeſperatis, Syria relicta, & venerandis lignis Hieroſolyma aſportatis, CPolim receſſit*. At in alio quoque Nicephorus adverſatur Theophani, ubi aſſerit, Modeſtum Hieroſolymorum Epiſcopum fuiſſe excidii tempore: *At Choſroes* (ait pag. 11.) *rurſum contra Romanos exercitum mittens, Sarbarum ei Ducem praefecit, qui, Oriente pervaſtato, ſalutaris Crucis vivifica ligna in ſanctis locis occupat, Modeſto tunc Hieroſolymorum Eccleſiam gubernante;* cum Theophanes, aliique Zachariam nominent. Iacobus Goarius in notis ad Theophanem pag. 609. adverſus Dionyſium Petavium, qui in notis ad Nicephorum pag. 71. falſa narrans in hac re eius Chronicon pronunciavit, litem componit, probatque auctoritate ipſius Theophanis, Modeſtum primum durante captivitate Zachariae Epiſcopatus adminiſtratorem fuiſſe, Zacharia demum e vivis erepto, cum ſoluta captivitate in Palaeſtinam rediiſſet, ad thronum ſibi olim commiſſum, proprias, non alienas agens vices, promotum fuiſſe. Sed caſtigandus quoque eſt Suidas, qui floruit anno CIϽXC., quique voc. Ἡράκλειος perperam aſſerit Crucem Domini CPoli repoſitam fuiſſe in Blachernis, non autem in S. Sophia: *Hic* (Heraclius nempe) *ab Athanaſio Iacobitarum Patriarcha, & Sergio Syro Conſtantinopolitano in ſectam Monothelitarum eſt devolutus. Heraclio Imperatori, in Perſide agenti, filii duo, duaeque filiae obierunt. Ipſe vero acceptis vivificis lignis obſignatis, quemadmodum accepta fuerunt, & permanſerant, Hieroſolyma profectus eſt, & Modeſto ſummo Pontifici, eiuſque Clero haec monſtravit. Hi vero & ſigillum incolume, & intactum agnoverunt, & clavem ab ipſo traditam acceperunt, & adorarunt, & in altum ſuſtulerunt. Imperator vero Byzantium haec miſit. Quae Sergius ſummus Pontifex in Blachernis repoſuit accepta*. Ceterum ex vivificis lignis portionem unam Hieroſolymis relictam, ibique ad annum CIϽCLXXXVII. veneratam alibi diximus. Hanc occultatam aliquando fuiſſe narrat Guilielmus, qui anno CIϽCLXXIV. factus eſt Archiepiſcopus Tyri, in lib. IX. cap. 4 *Hiſt. rer. in partibus tranſmarinis geſtar. a tempore ſucceſſor. Mahumet uſque ad an.* CIϽCLXXXIV., ubi narrat, quomodo a Chriſtianis, Duce Godefrido Bulliono, capta Hieroſolyma an. CIϽXCIX. die XXV. Iulii feria VI. reperta fuerit: *Inventa eſt* (ait) *in parte ſanctae Reſurrectionis Eccleſiae, ſeorſum, portio una Crucis Dominicae, quam*

olei expreſſus, talem facit univerſos intrantes ex diverſis gentibus adgregatos ſupra memoratam ſentire ſuaviſſimi odoris fragrantiam, cuius videlicet liquoris ſi etiam parvula quaedam ſtillula ſuper aegrotantes imponatur, qualicumque languore, vel morbo moleſtati, plenam recuperant ſanitatem (*a*).

Tan-

quam ob metum Gentilium, quorum iugum patiebantur, fideles ad ampliorem cautelam, multo ante, paucis admiſſis, occultaverant. Hanc ſtudio, & opere cuiuſdam hominis Syri, qui eius tam pretioſi depoſiti fuerat conſcius, repertam, theca reconditam argentea, primum ad Domini ſepulcrum, deinde ad templum Domini, cum hymnis, & canticis ſpiritualibus deportantes, proſequente eam univerſo Clero, & populo, conſolationem quaſi Caelo miſſam, omnes in commune acceperunt, arbitrantes ſe laborum, & moleſtiarum ſuarum mercedem condignam recepiſſe. Vide *Geſta Dei per Francos*, Hanoviae 1611. pag. 765.

(*a*) Mos erat in Eccleſia CPolitana pluries per annum vivifica ligna ſanctae Crucis balſamo inungendi, ut inferius certis monumentis oſtendam. Videat Lector, num liquor, & odor, de quibus Adamnanus loquitur, ex hac unctione ſint repetendi. Gregorius Magnus ep. xxxv. al. xxxiv. lib. viii. Ind 1. *Regiſtri Epiſtolar.* Tom. viii. *Oper.* Venetiis 1771. pag. 37. Leontio Exconſuli gratias agit de oleo ſanctae Crucis: *Oleum quippe ſanctae Crucis, & aloes lignum ſuſcepimus. Unum quod tactum benedicat, aliud quod per incenſum bene redoleat*. Gretſerius lib. I. *de Cruce* cap. 79. explicat hunc Gregorii locum de liquore, ſive oleo, quod ex Dominicae Crucis ligno manaret, ſed commode referri poteſt ad oleum lampadis, quae Hieroſolymis vel alibi ardebat ante pretioſae Crucis reliquias, vel ad aliud oleum ſigno, vel attactu vivificae Crucis ſantificatum. Utcumque res ſe habeat, nos certe haud probamus, quae anonymus auctor apud cl. Dominicum Mariam Mannium, in libro, cui titulus: *Iſtoria del Decamerone di Giovanni Boccacio*, Firenze 1742. pag. 438., in oleum ſanctae Crucis effutiit. Accipe teſtimonium: *La qual dabbenaggine ſi trova uſata anche tra' Cattolici, e in molte liſte di Reliquie antiche ſi vede eſſervi della terra portata di Paleſtina. Che più? S. Gregorio Magno* (ep. 34. Ind. 1. lib. 1.) *ringrazia Leone già ſtato Conſole per avergli mandato „ oleum ſanctae Crucis „ al che il Mabillone non potè ritenerſi di non eſclamare* (in ep. Euſeb.) „ *Miranda maiorum noſtrorum pia ſimplicitas a moribus noſtrae aetatis longe diverſa, qui eiuſmodi olea pro veris reliquiis habebant*. Quis ignorat Chriſtianos ab antiquiſſimis temporibus, cum nefas apud ipſos eſſet tangere ſanctorum oſſa, oleo uſos, quod ad martyrum, aliorumque ſanctorum ſepulcra ardebat, non pro vera reliquia, ſed tamquam religioſa re, unde fide coadiuvante ſanitatem ipſos reportaſſe in ſuis infirmitatibus, teſtes ſunt Patres, aliique fide digni Scriptores? Sed haec extra ſcopum.

Tandem memorare haud pigebit monumentum aliud exhibens oſtenſionem Crucis in ſabbatho ſancto CPoli peractam temporibus Archiepiſcopi Germani, cui Gretſerius innititur, ut probet ritum huiuſcemodi ad ſaeculum XIII. ea in urbe perduraſſe (*a*). Hoc nimirum habetur in eius oratione *in divini Corporis Domini, ac Salvatoris noſtri Ieſu Chriſti ſepulturam, dicta in die magni ſabbathi*, in qua haec leguntur (*b*): *En enim ſabbathum eſt, exitque ſermo, ut Crucis lignum dominico adhuc cruore ſtillans colligat, eoque, deſiderii in Chriſtum, qui pro nobis dignatus eſt pati, ignem accendat: neque his tamen reprehenſionis iactibus lapidandus eſt; quin imo Dei altare adorans, praedicabitur beatus: ipſumque oſculans homo, vittam coccineam, qualis eſt ſcripta Cantico canticorum, labia faciet, divini defluentis ſanguinis rubore purpurans, atque eum, qui Crucem circumfluit aereum humorem velut aquam ſanctificationis, labiorum complexu attrahens, eoque irriguus, in animam hauriet*. Cui Germano adſcribenda ſit haec Oratio, cum plures, iique ſcriptis clari CPoli ſederint, dubitavit Combefiſius, ſed dein facile in Gretſerii ſententiam ivit (*c*), qui illam tribuit Germano II. circa annum CIↃCCXXII. ad CPolitanam Eccleſiam evecto, defunctoque anno CIↃCCLIV., Latinis infenſo (*d*) tum circa azymorum uſum, tum circa dogma de Spiritus Sancti proceſſione. Huic Germano quinetiam eamdem Orationem poſt Gretſerium, & Combefiſium accenſuit Guilielmus Caveius (*e*), licet ubi agit de S. Germano I., qui Leoni Iſauro, ceteriſque Iconoclaſtis invicte reſtitit, qua de cauſſa anno IↃCCXXX. ab eodem Leone a ſede CPolitana motus fuit, dubius videatur, cuinam varia ſcripta Germani nomine inſignita, nec aliunde certa temporis nota diſtincta, quemadmodum illa, in quibus fit mentio Bogomilorum, vel ſchiſmatis Graecorum, quae manifeſto ad Germanum II. ſpectant, ſint tribuenda (*f*). At nos ab opi-

(*a*) *De Cruce* Lib. I. cap. 74. ſecundae edit. Ingolſtadii 1600.

(*b*) Tom. XX. *Bibl. Patrum*, Lugduni 1677. pag. 1255.

(*c*) In *monito ad Orationem Germani* Tom. cit. *Bibl. Patr.*

(*d*) Vid. *Panopl. contra ſchiſma Graecor.* Pariſiis 1718. pag. 345. & ſeqq.

(*e*) *Hiſtor. Litterar. Scriptor. Eccleſ.* Genevae 1705. pag. 265.

(*f*) Ibid. pag. 409.

opinione Gretſerii recedentes memoratam Orationem referendam cenſemus Germano I., non autem II., & quidem duplici ratione. Primum quia deſunt alia monumenta, quae probent, ritum oſtenſionis Crucis Conſtantinopoli in ſabbatho magno, vel ſancto, uti apud nos audit, temporibus Germani II. adhuc viguiſſe, cum de hac caerimonia, tum de altera in feria VI., ut mox videbimus, ſileant Conſtantinus Porphyrogennita, & Codinus, quorum primus ante, alter vero poſt Germanum II. ſcripſit. Quare procedit nunc ſecunda ratio, quae in eo verſatur, Germanum II. haud recitaſſe Orationem hanc CPoli; occupata enim a Latinis an. CIↃCCIV. hac Imperii Graecorum ſede, ſteterunt ibidem Imperatores, & Patriarchae Latini uſque ad annum CIↃCCLXI., dum interim Graeci Imperii ſui dignitatem in Theodorum Laſcarim tranſtulerunt, qui ſedem Nicaeae in Bithynia fixit, ibique tum ipſe, cum ſucceſſores una cum gentis Patriarchis, quos inter Germanus II., manſerunt ad tempora Michaelis Palaeologi, qui memorato anno veterem ſedem vindicavit. Tribuatur igitur Oratio S. Germano I., & omnis difficultas evaneſcet: Is abſque dubio ſedit CPoli, & eius temporibus ritus oſtenſionis Crucis tum in ſabbatho magno, tum in aliis diebus ab Adamnano, & Beda ſupra memoratis perdurabat.

Verumtamen ſacra haec oſtenſionis dominicae Crucis caerimonia, recurrente feria VI. maioris hebdomadae, adeo celebris in Eccleſia tum Hieroſolymitana, tum CPolitana, hac die obſoleſcere coepit. De Hieroſolymitana Eccleſia teſtatur S. Sophronius Patriarcha, qui obiit anno IↃCXXXIX. poſt captam Hieroſolymam ab Haumare, vel, ut aiunt, Omar duce Saracenorum (*a*), quandoquidem nullam ſupraſcriptae caerimo-

(*a*) Hieroſolymitanae urbis obſeſſio contigit an. Chriſti IↃCXXXVII., atque hoc tempore inter pacta, & conventiones, quae initae fuerunt inter Caliphum Omar, & urbem Hieroſolymorum, quaeque dein normam praebuerunt ceteris confoederationibus, quae Saracenos inter, & Chriſtianos percuſſae ſunt, omnino neceſſe fuit Sophronio, ut vitae tot infelicium incolarum proſpiceret, ſequentium etiam ſubſcriptionem permittere, nimirum ne nova templa nec intra civitatis ambitum, nec intra territorii fines exſtruerentur, ne Cruces

moniae mentionem faciat in altera Orationum (*a*), quae de Cruce ab eo elaboratae adhuc ſuperſunt; quin potius verba faciens de Cruce, quae Hieroſolymis adſervabatur, de ea nempe vivifici ligni particula, quae poſt Heraclii tempora ibidem relicta eſt, narrat, hanc publicae fidelium venerationi expoſitam fuiſſe ſequenti die poſt Dominicam Paſchatis reſurrectionis, tum inſuper praecipue docet, hunc oſtenſionis ritum olim Paſchatis feſtum praeceſſiſſe, ut hinc ab eo indicari Paraſcevis ſolemnitatem perſpicuum ſit: quamquam dein huius permutationis cauſſam ſe ignorare profiteatur: *Olim quidem Crux* (ſic ipſe loquitur) *Reſurrectionem antecedebat, nunc vero Reſurrectio dux, & velut anteambulo Crucis eſt .... Et quiſnam huius viciſſitudinis, & permutationis cauſſam*

Cruces in templorum apicibus collocarentur, aut per vicos, viaſque, quas Alcorani cultores tenerent publice deferrentur, neve tandem Muſulmani ab ingreſſu Eccleſiarum ſive interdiu, ſive noctu, ſive quocumque ſolemnitatis tempore prohiberentur. Cum vero Omar *cilicinis camelorum veſtibus* (ut habet Theophanes *Chronograph.* pag. 281.) *iiſque laceris, & ſordidis opertus, & hypocriſim plane diabolicam pietatis velamine oſtentans ſanctam civitatem* ingreſſus eſſet, illud petiit a Sophronio, ut eidem dux eſſe vellet in inviſendis praeſtantioribus templis, quae ibidem eſſent, quod dum fieret, ac perveniſſet Caliphus ad templum a Conſtantino M. aedificatum, ſtetit parumper in eo, ut elegantiam, & magnificentiam admiraretur, & cum egreſſus fuiſſet, ſtatim genua flexit ſuper gradus portae orientalis, tum nonnullas fudit orationes. Obſtupuit ad hanc rem Epiſcopus, eoque magis, quod cum Caliphus ipſe quaeſiviſſet ab eo, dum primum templum inviſeret, num fas eſſet ibidem orare, idque ſibi integrum eſſe reſponſum tuliſſet, nullum adorationis ſignum edidit. Quare huius rei tandem agnita eſt ex ipſo Calipho ratio, quae in eo erat, ut templorum poſſeſſionem Chriſtianis conſervaret, a qua excidiſſent, ſi in eorum aliquo Caliphus oraſſet; ac, ne Arabi poſſent Chriſtianis orientalis portae templi Conſtantiniani poſſeſſionem contendere, ſi iiſdem luberet ipſius ſequi exemplum, unum ille ſponte addidit confoederationi caput, quo caveretur, ut uni tantum Saracenorum ſuper gradibus templorum Chriſtianorum immemorari, ſi orare vellent, liceret. Conſule hac de re *Arabum hiſtoriam* a Marignio elaboratam Tom. I. p. 286., & cl. Becchettium *Continuazione della Storia Eccleſiaſtica* Tom. II. Roma 1771. pag. 80. & ſeqq.

(*a*) Tom. XII. *Biblioth. Patrum*, Lugduni 1677. pag. 212. *Oratio in exaltatione venerandae Crucis, & in ſanctam Reſurrectionem*.

ſam explicare poterit? . . . . . Cur igitur, non ut prius divina Crux prius exorta refulſit, luciflua vero reſurrectio triduo poſt illam reſplenduit? Equidem quid maiores noſtri ſpectarint in hac permutatione facienda, nemo noſtrum pro certo, & explorato dixerit.

At agendum nunc eſt de CPolitana Eccleſia. Manifeſtum eſt in hac ritum ſalutationis Crucis in feria VI. perduraſſe ad tempora S. Germani I., ad initia nempe ſaeculi VIII., cum nullam dein mentionem de eo ritu factam inveniamus; ſiquidem altum de ea ſilentium tum in duobus Conſtantini Porphyrogennitae *de caerimoniis aulae Byzantinae libris*, tum in poſteriori opere *de officiis magnae Eccleſiae, & aulae CPolitanae* Georgii Codini, qui & *Curopalata* dictus eſt (*a*). Quare arguere hinc licet, ſolemnitatem hanc in deſuetudinem abiiſſe poſt Germani I. ante Conſtantini Porphyrogennitae tempora. Invecta vero iam erat in Graecorum ſacras caerimonias extra magnam hebdomadam alia Crucis adoratio, in tertia nempe Dominica die Quadrageſimae, cuius ſolemnes ritus fuſe deſcribuntur in Triodio (*b*). De hac adoratione mentio

n quin-

(*a*) Pariſiis e typographia Regia an. 1648. curante Iacobo Goario.

(*b*) Cur haec Crucis adoratio apud Graecos celebretur in Dominica tertia Quadrageſimae, luculenter exponit Euthymius novarum Patrarum Epiſcopus apud Leonem Allatium in Diſs. *de Dominicis, & hebdomadibus Graecorum* in Appendice ad tres libros *de Eccleſiae Occidentalis, & Orientalis perpetua conſenſione*, Coloniae Agrippinae 1648. p. 1438. *Quam ob cauſſam*, ait, *Crucis ſignum medio ieiuniorum tempore ad adorandum omnibus proponitur. Cum ſpirituale nobis, divinumque Pancratium tempus aperuit ieiuniis, in quo animae certamina, ut quiſpiam diceret, percurrimus . . . . . Crux in medio huiuſcemodi Prancratii proponitur, exantlatos iam antea labores ſuſcipiens, & futuros excipiendos certantibus animos addens*. Crux patet publice adoranda omnibus Chriſtifidelibus per totam hebdomadam, quae Dominicam tertiam ſubſequitur, quaeque eſt quarta Quadrageſimae, ſive *media Ieiuniorum*, aut *media Quadrageſimae*. Graecorum enim Quadrageſima ante Paſcha ſeptem hebdomadibus conſtat, & ſex dumtaxat Dominicis, ut numerus Quadrageſimae compleatur, quia ſabbathis, ut diebus Dominicis, non ieiuniant Graeci, excepto tamen ſabbatho magno. Numerant autem Dominicas Quadrageſimae a Dominica ſecundae

dae

quinetiam habetur apud Sophronium in altera ipſius oratione (*a*), & in duobus mox citatis operibus (*b*), ubi pluribus huius ſolemnitatis ritus in Eccleſia CPolitana exponuntur, inter quos ille praeſertim obſervandus venit, quem refert Conſtantinus Porphyrogennita, quique balſami unctionem, qua Crux delinitur, reſpicit. *Dominica ſanctae Quadrageſimae tertia* (ait ille), *ſeu, quod idem eſt, tertia a feſto Orthodoxiae, & reſtitutarum ſacrarum imaginum, poſt tertium, ſextumque canticum canonis matutinarum, expromuntur ſanctae, & vivificae tres Cruces* [*e ſede, & baſi ſua in palatio*], *& deponuntur in* [*eiuſdem*] *skevophylacio, & deinceps balſamiſatae, vel inunctae a Protopapa* (*c*), *proponuntur in Eccleſia* [*palatii, ſeu Nea*] *vulgari omnium*

dae hebdomadae; ante quam priores ieiuniorum feriae apud Graecos Dominicam, cui *Tyrophagi* a caſei eſu nomen eſt, ſtatim excipiunt. Hinc fit, ut Latinorum hebdomadae Graecis nullo modo reſpondeant; quae enim Latinis prima eſt, Graecis eſt ſecunda; & ſic de ceteris. Hebdomadae nempe feriae nomen ſibi vindicant, non a Dominica, quae eas praecedit, ſed ab ea, quae illas conſequitur, aliter ac obſervatur apud Latinos.

(*a*) *Oratio in adorationem venerandae, ac vivificae Crucis, media ieiuniorum hebdomada, & de ieiunio* Tom. XII. *Biblioth. Patr* pag. 213.

(*b*) Lib. II. cap. XI. *de caerimon. aulae Byzant.* pag. 317., & cap. IX. *de offic. magnae Eccleſ.*, *& aulae CP.* pag. 96.

(*c*) Haec unctio, teſte eodem Porphyrogennita lib. II. cap. 8., CPoli peragebatur etiam kalendis auguſti, quando venerabilis, & vivifica Crux in publicum prodibat: *Balſamatur*, ait, *vel inungitur ſacris unguentis a* [*Cleri regii*] *Protopapa*. Atque heic obiter notandum ex hiſce Porphyrogennitae locis duo erui haud animadverſa a cl. Ioſepho Moriſanio in Diatriba *de Protopapis, & Deutereis Graecorum, & Catholicis eorum Eccleſiis*, Neapoli anno 1768. excuſa, nempe in Aula CPolitana Protopapae dignitatem iam a ſaeculo VIII. exſtitiſſe, atque inter eius munera illud quoque fuiſſe vivificam Crucem balſamo inungendi, cum Moriſanius pag. 118. primam Protopapae magni palatii mentionem ad ann. IↃCCCCLXIII. ingerat, & recenſens pag. cit. & ſeqq. eius munera ea tantum attingat, quae reſpiciunt baptiſmum filiorum Impp., benedictionem menſae eorumdem Augg., receptum eorum cum Eccleſiam adibant in die Paſchatis, benedictionem aquae in palatio in ſanctis Theophaniis, & alia munera in lavipedio coenae Domini, in enthroniſmo novi Patriarchae, & in exercitu, ad quem, quum oportebat prodire, Protopapae palatii erat accurrere cum ſs. Crucis ligno, vel cum beatorum

omnium adorationi &c. Quare hinc factum putamus, ſenſim deſueviſſe veterem ritum adorationis Crucis in feria VI., de quo in Eccleſiaſticis Graecorum libris, ac praecipue in officio Paraſcevis magnae hebdomadae, quod doctiſſimus, idemque pientiſſimus Card. Ioſephus Maria Thomaſius pro fidelium captu, & inſtitutione ex Graeco Latinum fecit, ac Romae edidit anno CIↃIↃCXCV.(*a*), nulla occurrit mentio(*b*), quae

n 2 tamen

torum Martyrum reliquiis, ut iureiurando ſuper eis exacto adigerentur milites ad religionem, ac imperium, etiam cum ſanguinis impendio, tuendum: *Omnibus in unum*, inquit Georgius Cedrenus *Compend. Hiſtoriar.* Tom. II. Pariſiis e typograph.Regia 1647.pag.612., *conductis exercitibus*, *ac cohortibus ad Diabaſin* (*locus id nomen a tranſitu habet*, *eſtque planities ampla*, *& recipiendo exercitui ſufficiens*) *palatii primarius Sacerdos* (*ipſi Protopapam vocant*) *miſſus cum venerandis lignis*, *omnes in genua procumbere iuſſit*, *& iurare*, *ſe uſque ad mortem una perſeveraturos*; *dicto ſacramento*, *in Bulgaros exercitus omnes moverunt*. Ceterum ritus Crucem balſamo quotannis inungendi obtinuit quoque in Eccleſia Romana. Praeclarum teſtimonium exſtat apud Mabillonium in libro Iohann. Diaconi *de Eccleſia Lateranenſi* p.572.Tom.II. *Muſ. Italici*, in quo haec leguntur: *In ſacro namque palatio eſt quoddam S.Laurentii Oratorium*, *in quo tria ſanctiſſima computantur altaria*. *Primum in arca cypreſſina*, *quam Leo Papa III. condidit*, *tres capſae ſunt*. *In una eſt Crux de auro puriſſimo adornata gemmis*, *& lapidibus precioſis*, *ideſt hyacinthis*, *& ſmaragdis*, *& praſinis*. *In media Cruce eſt umbilicus D.N.I.C. & deſuper eſt inuncta balſamo*, *& ſingulis annis eadem unctio renovatur*, *quando Dominus Papa cum Cardinalibus facit proceſſionem in Exaltatione S.Crucis ab ipſa Eccleſia S. Laurentii in Baſilicam Salvatoris*, *quae appellatur Conſtantiniana*. Ad haec mos aliquando invaluit in eadem Eccleſia Romana imagines ſanctorum oleo ſancto inungendi: *Uſus*, aiebat Hadrianus I. in epiſtola ad Carolum Magnum contra oppugnatores ſeptimae Synodi, ap. Labb. Tom.VIII. *Concilior.* pag.1571., *ſanctae noſtrae catholicae*, *& apoſtolicae Romanae Eccleſiae fuit*, *& eſt*, *quando ſacrae imagines*, *vel hiſtoriae pinguntur*, *prius ſacro chriſmate unguntur*, *& tunc a fidelibus venerantur*: *inſtar facientes*, *ut locutus eſt Dominus ad Moyſen* (*Exod. XXX.*) *dicens*:
„ *Facieſque unctionis oleum ſanctum*
„ *unguentum*, *compoſitum opere un-*
„ *guentarii*, *& unges ex eo taber-*
„ *naculum teſtimonii*, *& arcam te-*
„ *ſtamenti*, *menſamque cum vaſis ſuis*,
„ *candelabrum*, *& utenſilia eius*, *al-*
„ *taria thymiamatis*, *& holocauſti*,
„ *& univerſam ſupellectilem*, *quae*
„ *ad cultum eorum pertinet &c.*

(*a*) Vid.Tom.VII. *Oper.* Thomaſii, Romae 1754. edit. cl. Antonii Franciſci Vezzoſii Clerici Regular. pag. 73., & ſeqq.

(*b*) Cum ob Saracenorum irruptionem ſacri Graecorum libri, quos Sanctus Saba, ducibus SS.Eutimio, & Theotiſto, primus

tamen habetur in laudata feria VI. penes officia Syrorum, Coptorum, & Armenorum. Cum vero adeo ad pietatem, & ad eloquentiam compoſitae ſint Syrorum preces, quae hac occaſione recitantur, ut fidelium cordibus ſuavi inſonent concentu, opportunum duximus eaſdem Syriaco, & Latino idiomate in Appendice referre, praeſertim cum hae remota vetuſtate commendentur. Ceterum apud Graecos, loco veteris ritus adorationis Crucis, die Paraſcevis alius uſurpatur in memoriam Dominicae ſepulturae, quem Leo Allatius ita deſcribit (a): *Feria VI. circa horam diei ſecundam, horae uti praeſcriptae ſunt a S. Cyrillo Patriarcha Alexandrino in Eccleſia, & reliqua illius diei officia. Nocte ſubſequenti, ante ſabbathum, ſepulcri, ſepultique Domini laudes cum cantu proſequuntur. Ad haec tamen tempora uſus obtinuit, ut dum Pſalmus CXVIII. canitur, & ſingulis verſiculis ſingula Troparia concinuntur, Chriſtus, decore exſculptus, vel affabre in tabula depictus, & in feretro depoſitus, ſolemni cereorum ardentium apparatu, Sacerdotibus, quemadmodum cum ſacra Miſſarum ſolemnia celebrant, veſtitis, reliquo Clero non ſine ordine concomitante, & Chriſtifidelibus feretrum proſequentibus per urbis plateas defertur, proponiturque omnibus adorandus, exoſculanduſque, ſicque omnium venera-*

mus digeſſerat, magna ex parte diſperſi fuiſſent, hinc ipſos, ex Simeonis Teſſalonicenſis Epiſcopi fide, denuo reſtituit, atque ordinavit Sanctus Sophronius Epiſcopus Heroſolymitanus, ac tandem Sanctus Iohannes Damaſcenus ad perfectiorem amuſſim exegit. Verum hac de re conſulatur Leo Allatius *de Lib. eccleſ. Graecor.* Pariſiis 1645. Cum autem Sophronii aetate in deſuetudinem abiiſſet ritus ſolemnis adorationis Crucis, qui feria VI. in Eccleſia Hieroſolymitana olim perſolvebatur, atque iam receptus eſſet celebris alter, qui tertia Dominica die Quadrageſimae perficiebatur, illud dici poſſe videtur, Sophronium ipſum, dum ſupraſcriptos Graecorum libros novo ordine diſponeret, omiſiſſe commemorationem oſtenſionis Crucis, quae feria VI. fiebat, eiuſque loco alteram, quae ad tertiam diem Dominicam Quadrageſimae ſtatuta fuerat, induxiſſe; niſi illud etiam tribuendum quis velit Damaſceno, qui mortem obiit circa ſaeculi VIII. dimidium, cuiuſque aetate CPoli quinetiam ſolemnitas adorationis Crucis feria VI. ceſſaverat.

(a) *Diſſert. de Dominicis, & hebdomadibus Graecorum* in Append. ad tres libros *de Eccleſiae Occiden., atque Orientalis perpetua conſenſione.* Coloniae Agrippinae 1648. p. 1447.

nerationi patet. Flores interim imagini ſuperpoſiti, maximo ſtudio ab omnibus conquiruntur, quibus ſibi maxima bona, non corporis modo, ſed rerum etiam domeſticarum pollicentur. Nec niſi accommode, ſapienterque ab Allatio heic dicitur: *ad haec tamen tempora uſus obtinuit*, quandoquidem recens invectus eſt in Graecorum ſacra huiuſcemodi ritus (*a*), cuius nullum veſtigium

(*a*) De officio Dominicae ſepulturae poſt veſperas feriae VI. penes aliquas Latinas Eccleſias, Baiocenſem nempe, Sarisberienſem, Pictavienſem, Auguſtenſem, & Cabilonenſem agit cl. Edmundus Martenius Tom. III. *de antiq. Eccl. ritib.* lib. 4. cap. 23. *de feria VI. Paraſceves* pag. 369. & ſeqq. Antuerpiae 1737. Verum apud Latinos in hoc officio, ubi illud uſurpabatur, ſanctiſſima Euchariſtia interveniebat; conſecrabantur quippe in feria V. in coena Domini tres hoſtiae, quarum unam celebrans tunc ſumebat, aliae duae in feriam VI. reſervabantur, ut ex una Sacerdos communicaret, alteram vero in ſepulcro cum Cruce reconderet. Exemplis a Martenio adductis duo addimus Eccleſiarum Aquileienſis, & Venetae, quae habet cl. Ioh. Franciſcus Bernardus M. de Rubeis Ordinis Praedicatorum in Diſs. *de vetuſtis Liturgicis, aliiſque ſacris ritibus, qui vigebant olim in aliquibus Foroiulienſis Provinciae Eccleſiis*, Venetiis 1754. pag. 325. Priſcis temporibus ſepulcrum illud, quod modo ſumma rituum pompa ſolemniter paratur in feria V. in coena Domini ad recondendum Chriſti corpus, ſumendum poſtea in craſtinum feriae VI. a Sacerdote, haud erat in more; reſervabatur tunc Euchariſtia in ſindone munda, vel in ſacrario, vel ſub altari ſimplicibus ritibus. Hodierni vero huius ritus in Eccleſiam Romanam invecti exemplum ſatis luculentum exſtat in litteris Leonis XI. ſubnotatis *Romae apud S. Petrum die* 5. *aprilis* 1605. *ſuſcepti a nobis Apoſtolatus officii anno primo*, in quibus de ſepulcro fieri conſueto in Capella Paullina palatii Apoſtolici fit mentio hiſce verbis: *Ad ſummi Apoſtolatus apicem divina diſponente clementia nuper vocati..... Idcirco cum feria V. in coena Domini proxime futura ſepulcrum Dominicum, in quo ſanctiſſimum Euchariſtiae ſacramentum uſque ad ſequentem feriam VI. in Paraſceve aſſervari ſolet, in palatio Apoſtolico ad ſolitam Capellam Paullinam ob conclavis, in quo nos nuper ad Pontificatum evecti fuimus, nondum expurgati impedimentum, commode inſtitui non poſſit; ne Chriſtifidelium ad praedictum ſepulcrum Dominicum, & Baſilicam Principis Apoſtolorum pietatis, & devotionis ergo confluentium devotio frigeſcat.... omnibus utriuſque ſexus Chriſtifidelibus vere poenitentibus, & confeſſis, & ſacra communione refectis, qui ſepulcrum Dominicum in Baſilica praedicta Principis Apoſtolorum eadem feria V. in coena Domini inſtituendum ab hora, qua ibidem ſanctiſſimum Euchariſtiae ſacramentum collocabitur, uſque ad horam*

ſtigium in Triodio, aliiſque Graecorum Eccleſiaſticis libris. Sed ab Oriente in Occidentem gradum faciamus, ubi ritus adorationis Crucis feria VI. in Paraſceve adhuc religioſiſſime peragitur.

Factum itaque eſt, ut hic ritus ab Orientali Eccleſia in Occidentalem etiam manarit, in qua oſtenſio ligni vivificae Crucis, ubi adeſſet, vel Crucis imaginis in Paraſceve, ſive in feria VI. maioris hebdomadae fieri coepta eſt. Peculiari ſane reverentia hunc diem coluere veteres Chriſtiani, qui eo recurrente ieiunium exercebant, quod ſane unum erat ex iis, quibus celebre *antepaſchale* ieiunium a Tertulliano (*a*) memo-

horam, qua ſequenti feria VI. inde aſportabitur, divote viſitaverint &c. plenariam omnium peccatorum indulgentiam, & remiſſionem miſericorditer in Domino concedimus, & elargimur. Vid. Tom. III. *Bullar Vatican.* pag. 35. *Append.* Romae 1752. Leo XI. kalendis aprilis an. CIϽIϽCV. renunciatus Pontifex Maximus, decima die menſis eiuſdem coronatus fuit, ſed vigeſima ſeptima ex hac vita migravit poſt breviſſimum XXVI. dierum Pontificatum. Sic tranſit gloria mundi.

(*a*) *De ieiuniis adverſus Pſychicos* cap. II. *Certe*, inquit, *in Evangelio illos dies ieiuniis determinatos putant, in quibus ablatus eſt ſponſus: & hos eſſe iam ſolos legitimos ieiuniorum Chriſtianorum, abolitis legalibus, & propheticis vetuſtatibus*. Antepaſchale hoc ieiunium, ideſt dies illos, quibus Chriſtus in ſepulcro iacuerat, in ipſo Evangelio ſignatum veteres credidere, cetera vero ieiunia cuiuſve arbitrio commiſſa. *Venient autem dies*, praedixit Chriſtus de diſcipulis ſuis apud Matthaeum cap. IX. verſ. 15., *quum auferetur ab eis ſponſus: & tunc ieiunabunt*. Mox hoc ieiunium ad alios maioris hebdomadae dies extenſum eſt: *Neque enim de die* (Paſchatis) *ſolum*, verba ſunt Irenaei, qui obiit martyr paullo poſt annum CC. forte ante annum CCII., in epiſtola ad S. Victorem R. P apud Euſebium lib. V. *Hiſt. Eccleſ.* cap. 24. Henrico Valeſio interprete p. 213., & ſeqq. Auguſtae Taurinor. 1746., *controverſia eſt, ſed etiam de forma ipſa ieiunii, Quidam enim exiſtimant unico die ſibi eſſe ieiunandum: alii duobus: alii pluribus: nonnulli etiam quadraginta horis diurnis, ac nocturnis computantes diem ſuum metiuntur. Atque haec in obſervando ieiunio varietas non noſtra primum aetate nata eſt, ſed longe antea apud maiores noſtros coepit, qui negligentius, ut veriſimile eſt, praeſidentes, ex ſimplicitate, & imperitia ortam conſuetudinem poſteris tradiderunt. Nihilominus tamen omnes iſti pacem inter ſe retinuerunt, & nos invicem retinemus. Ita ieiuniorum diverſitas conſenſionem fidei commendat*. Quando autem antepaſchale ieiunium ad exemplum ieiunii a Chriſto, a Moyſe, atque ab Helia ſervati ad

memoratum conſtabat. Tum etiam in memoriam reparationis hominum, quam in Cruce Dominus Ieſus conſummavit, dies hic publicae veniae peccatorum, qui ab uno, vel duobus, vel pluribus annis poenitentiam egerant, dedicatus in aliquibus Eccleſiis perhibetur (*a*)). De hac re dubitare non ſinit S. Ambroſius, qui in celebri epiſtola, quae Marcellinae ſorori, petitionis Valentiani II. Imp., ut Baſilica Mediolani Arianis traderetur, eventum anxie ſciſcitanti, facti ſeriem exponit (*b*), & poſtquam ei retulit, quibus rationibus fortiter Imperatori reſtiterit, tandem narrat milites feria VI. ante Paſcha de iam violenter occupata Baſilica receſſiſſe: *Nec mora*, verba ſunt ſancti Doctoris, *nuntiatur Imperatorem iuſſiſſe, ut recederent milites de Baſilica, negotiatoribus quoque quod exactum de condemnatione fuerat, redderetur. Quae tunc plebis totius laetitia fuit? qui totius populi plauſus? quae gratia? Erat autem dies, quo ſeſe Dominus pro nobis tradidit, quo in Eccleſia poenitentia relaxatur* (*c*). *Certatim hoc nuntiare milites, irruen-*

ad quadraginta circiter dies produci coeperit, non eſt huius loci diſputare.

(*a*) Haec poenitentium ſolemnis reconciliatio Romae fiebat feria v. ante Paſcha, ut diſerte tradit Innocentius I. in epiſtola ad Decentium Epiſcopum Eugubinum ap. Petrum Couſtantium *epiſt RR. PP.* pag. 862. Pariſiis 1721. *De poenitentibus autem*, ait, *qui ſive ex gravioribus commiſſis, ſive ex levioribus poenitentiam gerunt, ſi nulla interveniat aegritudo, quinta feria ante Paſcha eis remittendum Romanae Eccleſiae conſuetudo demonſtrat*. Hieronymus (ep. LXXVII. al. XXX *ad Oceanum*, Part. I. Tom. I. *Oper.* p.459.) enarrans obitum Fabiolae, quae cum virum ſuum adulterum repudiaſſet, aliumque ſibi ſociaſſet, Divina ſuperabundante gratia delictum poenitentia emendavit, haec habet: *Quis hoc crederet, ut poſt mortem ſecundi viri in ſemetipſam reverſa, quo tempore ſolent viduae negligentes, iugo ſervitutis excuſſo, agere ſe liberius, adire balneas, volitare per plateas, vultus circumferre meretricios; ſaccum indueret, ut errorem publice fateretur, & tota urbe ſpectante Romana, ante diem Paſchae in Baſilica quondam Laterani, qui Caeſariano truncatus eſt gladio, ſtaret in ordine poenitentium, Epiſcopo, Presbyteris, & omni populo collacrimantibus, ſparſum crinem, ora lurida, ſqualidas manus, ſordida colla ſubmitteret? Quae peccata fletus iſte non purget?* Publicae poenitentiae ritum fuſe deſcribit Sozomenus lib. VII. *Hiſt. Eccleſ.* cap. 16., quem conſulere non pigeat.

(*b*) *Epiſtolar.* lib. I. ep. XIV. Tom. V. *Oper.* pag. 205., & ſeqq.

(*c*) Patres Concilii Toletani IV. cele-

ruentes in altaria oſculis ſignificare pacis inſigne. Tunc agnovi, quod Deus vermem antelucanum percuſſerat, ut tota civitas ſer-vare-

celebrati anno ɪↄcxxxɪɪɪ. can. vɪɪ. apud Labb. Tom.vɪ. *Concilior.* pag. 1353. Venetiis 1729. reprehendunt quarumdam Hiſpaniae Eccleſiarum abuſum, in quibus die feriae ſextae paſſionis Domini, clauſis Baſilicarum foribus, nec celebrabatur officium, nec paſſio Domini populis praedicabatur. Quare ſanciunt: *Oportet eodem die myſterium Crucis, quod ipſe Dominus cunctis nunciandum voluit, praedicari, atque indulgentiam criminum clara voce omnem populum poſtulare: ut poenitentiae compunctione mundati, venerabilem diem Dominicae reſurrectionis, remiſſis iniquitatibus, ſuſcipere mereamur, corporiſque eius & ſanginis ſacramentum mundi a peccatis ſumamus*. Hinc factum putamus, *ut die veneris ſancti vɪɪɪ. aprilis anni cɪↄcccLxxɪx.* (ut habetur in libro Privilegiorum civitatis Anconae pag. 120. in archivo ſecretiore eiuſdem urbis adſervato) *ante altare Cathedralis Eccleſiae Magiſtratus Anconitanus praeſentaverit Pellegrino Archidiacono parato ſacerdotalibus indumentis omnes carceratos liberos, & abſolutos ob reverentiam paſſionis Chriſti*. Atque hic animadvertenda eſt appellatio illa *die veneris ſancti*, paganico vocabulo, potius quam eccleſiaſtico nomine *feria ſexta* uſurpata. Scio Tertullianum excuſare aliquas loquendi formulas in Chriſtianis, quae impietatem ceteroqui ſapiunt; quandoquidem conſuetudine ipſa, atque ignorantia loquentium emollitae, non tam irreligioſae dicendae ſunt, quam inconſideratae: *Deos nationum*, ait cap. xx de Idololatria, *nominari lex probibet, non utique ne nomina eorum pronunciemus, quae nobis ut dicamus converſatio extorquet. Nam plerumque dicendum eſt* „ in templo Aeſculapii illum habes „ *&* „ vico Iſidis habito „ *&* „ ſacerdos Iovis factus eſt „ *& multa alia in hunc modum.... in prima parte legis* „ non ſumes „ *inquit* „ nomen Domini Dei tui in vano „ *ideſt, Idolo. Cecidit igitur in Idololatriam, qui Idolum nomine Dei honoraverit. Quod ſi deos dicendum erit, adiiciendum eſt aliquid, quo appareat, quia non ego illos deos dico. Nam & Scriptura deos nominat, ſed adiicit* „ ſuos „ *vel* „ nationum „ *.... ceterum conſuetudinis vitium eſt* „ me Hercule „ *dicere* „ me Dius fidius „ *accedente ignorantia quorumdam, qui ignorant iuſiurandum eſſe per Herculem*. Sed an huiuſmodi locutiones modo ſint excuſandae, alii ſtatuant. Veteres Chriſtiani adhibebant civilia dierum nomina, nempe *diem Veneris*, *diem Martis &c.* ut patet ex inſcriptionibus, aliſque monumentis, aſt diligenter cavebant a quocumque additamento per quod idololatricum aliquid redoleret, ut illud eſt *die Veneris ſancti*, quod non niſi ex craſſa ignorantia excuſandum videtur. Similis locutio frequenter invenitur in medii aevi monumentis, & in Libris, ſeu Actis ſacrarum caerimoniarum collectis ab Auguſtino Patritio Epiſcopo Pientino, & a Iohanne Baptiſta Gattico Abbate Lateranenſi.

varetur. Haec geſta ſunt, atque utinam iam finita: ſed graviores motus futuros, plena commotionis imperialia verba indicant. Ego tyrannus appellor, & plus etiam quam tyrannus: Nam cum Imperatorem Comites obſecrarent, uti prodiret ad Eccleſiam, idque petitu militum facere ſe dicerent, reſpondit: ſi vobis iuſſerit Ambroſius, vinctum me tradetis. Quid poſt hanc vocem ſuperſit, conſidera. Quam vocem omnes cohorruerunt; ſed habet, a quibus exaſperetur. Denique etiam ſpeciali expreſſione Calligonus praepoſitus cubiculi mandare mihi auſus eſt: Me vivo, tu contemnis Valentinianum? Caput tibi tollo. Reſpondi: Deus permittat tibi, ut impleas, quod minaris. Ego enim patiar quod Epiſcopi, tu facies quod ſpadonis. Quare hac etiam die Crucis oſtenſio apud nos quoque invecta eſt, quam proinde certam faciunt Sacramentarium Gelaſianum, & Antiphonarium Gregorianum; de quorum vetuſtate nullum eſſe dubium poteſt, poſtquam primum inluſtravit Ven. Card. Ioſephus M. Thomaſius ſacrarum facultatum ſcientiſſimus, ac dein cl. Ludovicus Antonius Muratorius (*a*); tum denique doctiſſimus Antonius Franciſcus Vezzoſius Cler. Reg., noſtrique amantiſſimus, qui omnia Thomaſiana opera in unum collegit, ac poſtquam ſecundum etiam laudati Thomaſius, & Vezzoſius eruditiſſimis obſervationibus locupletarunt. Cum ergo in Sacramentario Gelaſiano ordo habeatur *de feria VI. paſſione Domini*, ſic deſcribitur etiam venerationis Crucis caerimonia (*b*): *Hora nona procedunt omnes ad Eccleſiam: & ponitur ſancta Crux ſuper altare. Et egreditur Sacerdos de ſacrario ſacris Ordinibus cum ſilentio, nihil canentes, & veniunt ante altare: poſtulans Sacerdos pro ſe orare, & dicit* „Oremus„ *& adnuntiat Diaconus* „Flectamus genua„ *& poſt paullulum dicit* „Levate„ *&*

O *dat*

nenſi. Ceterum Valentinianus Senior Auguſtus primus innoteſcit, qui lege data an. CCCLXVII. ob diem Paſchae indulgentiam criminum carceribus incluſis liberaliter conceſſit, ut habet *Cod. Theodoſ* lib. IX. tit. XXXVIII. *de indulgentiis crimin.* l. 3. Sep hac de re conſulatur ſingularis diſſertatio Iohannis Conradi Hottingeri, cui titulus: *de ritu dimittendi reum in feſto Paſchatis*, edita Tigurinis typis an. 1718.

(*a*) *Liturgia Romana vetus*. Venetiis 1748. pag. 51. & ſeqq.

(*b*) Tom. VI. *Oper.* Ven. Card. Thomaſii pag. 63., & 66.

dat orationem. Tum expoſitis precibus, quae ante lectionem paſſionis recitantur, quaeque ſubſequuntur pro ſingulis Eccleſiae ordinibus, ac hominibus univerſis (*a*), ſic res abſolvitur: *Iſtis Orationibus ſupraſcriptis expletis, ingrediuntur Diaconi in ſacrarium. Procedunt cum corpore & ſanguine Domini, quod ante die remanſit, & ponunt ſuper altare* (*b*). *Et venit Sacerdos ante altare, ado-*

(*a*) Harum orationum meminit Caeleſtini Papae I. epiſtolae ad Epiſcopos Galliae ſubiectus libellus, continens auctoritates praeteritorum Sedis Apoſtolicae Epiſcoporum *de gratia Dei*, *& libero arbitrio* contra Pelagianos, cap. VIII. ap. Labb. Tom. III. *Concilior.* p. 475. edit. Vener. 1728. Accipe teſtimonium: *Praeter eas autem beatiſſimae & apoſtolicae Sedis inviolabiles ſanctiones, quibus nos piiſſimi patres, peſtiferae novitatis elatione deiecta, & bonae voluntatis exordia, & incrementa probabilium ſtudiorum, & in eis uſque in finem perſeverantiam, ad Chriſti gratiam referre docuerunt, obſecrationum quoque ſacerdotalium ſacramenta reſpiciamus, quae ab Apoſtolis tradita in toto mundo, atque in omni Eccleſia Catholica uniformiter celebrantur, ut legem credendi lex ſtatuat ſupplicandi. Cum enim ſanctarum plebium praeſules mandata ſibimet legatione fungantur, apud divinam clementiam humani generis agunt cauſſam, & tota ſecum congemiſcente Eccleſia poſtulant, & precantur* „ ut „ infidelibus donetur fides, ut „ idolatrae ab impietatis ſuae „ liberentur erroribus, ut Iudaeis „ ablato cordis velamine lux ve„ ritatis appareat, ut haeretici „ catholicae fidei perceptione re„ ſipiſcant, & ſchiſmatici ſpiri„ tum redivivae caritatis acci„ piant, ut lapſis poenitentiae „ remedium conferatur, ut de„ nique catechumenis ad rege„ nerationis ſacramenta perdu„ ctis, caeleſtis aula miſericor„ diae referetur „. *Haec autem non perfunctorie, neque inaniter a Domino peti, rerum ipſarum monſtrat effectus: quandoquidem ex omni errorum genere plurimos Deus dignatur attrahere, quos erutos de poteſtate tenebrarum transferat in regnum filii caritatis ſuae, & ex vaſis irae faciat vaſa miſericordiae. Quod adeo totum divini operis eſſe ſentitur, ut haec efficienti Deo gratiarum ſemper actio, laudiſque confeſſio pro illuminatione talium, vel correctione referatur.*

(*b*) Hinc quaeſtio oritur an in Eccleſia Latina praeter panis ſpeciem, vini quoque ſpecies ad praeſanctificatorum caerimoniam, cuius nihil antiquius occurrit Sacramentario Gelaſiano, in Paraſceve conſervaretur. Martenius quidem *de antiq. Eccl ritib.* lib. IV. cap. 22. p. 276. tom. III., & alii in affirmativam ſententiam conceſſerunt, qui nempe ſe id didiciſſe putarent ex antiquis Sacramentariis, in quibus perſpicue, uti in allato Gelaſiano, *corpus & ſanguis* Domini deſignatur ad memoratae feriae VI. officium adſervari. Verum Mabillonius *Commentar. in Ord. Roman.* p. LXXI. Tom. II. *Muſ. Italic.*, & poſt eum

adorans Crucem Domini, *& oſculans*. *Et dicit* „ Oremus „ *& ſequitur* „ Praeceptis ſalutaribus moniti „ *Et Oratio Dominica*. *Inde* „ Libera nos Domine quaeſumus „ *His omnibus expletis adorant omnes ſanctam Crucem*, *& communicant* (*a*). Haec vetuſtior eſt, quae modo ſuperſit, vel innotuerit, deſcriptio ſalutationis Cruci feria VI. maioris hebdomadae fieri conſuetae. Eam ſane com-

O 2 men-

eum Vezzoſius Tom. V *Oper*. Ven. Card. Thomaſii p. 84., & ſeq., & Tom. VI. p. 66., & ſeq. contendunt ſub *corporis*, *& ſanguinis* Chriſti indicatione ſolam panis ſpeciem eſſe intelligendam. Utri adhaerendum ſit, res mihi ſatis ardua videtur.

(*a*) Ex hoc teſtimonio liquet antiquiſſimum fuiſſe morem ſanctae Romanae Eccleſiae Euchariſtiam non ſolum feria V. in coena Domini, ſed etiam feria VI. in Paraſceve omnibus rite diſpoſitis diſtribuendi. Temporibus Amalarii, qui ſaeculo IX. ineunte floruit, eumdem morem deſiiſſe patet: ſcribit enim *de Eccleſ. offic.* lib. I. cap. 15. Romanum Archidiaconum a ſe ſciſcitatum de hac obſervatione repoſuiſſe: *In ea ſtatione, ubi Apoſtolicus ſalutat Crucem, nemo ibi communicat*. Concinit vulgatus Alcuinus *de divin. offic.* cap. XVII.: *Sunt, qui quotidie Euchariſtiam volunt ſumere; & quia in Paraſceve non conficitur corpus Domini, neceſſe eſt, ut hi, quibus eſt voluntas communicandi, habeant ſacrificium ex priori die, quod tamen Romani non faciunt*. Hinc Ordo Romanus X. apud Mabillonium Tom. II. *Muſ. Italic.* pag. 103., qui illum ad ſaeculum XI. revocat, ſolam Pontificis communionem indigitat in coena Domini, & in Paraſceve: *Communicat autem* (ita de Paraſceve) *ſolus Pontifex ſine miniſtris, non ad ſedem ſolemniter, ſed ibi tantum eo die ante altare, ob humilitatem reverentiae diei, & paſſionem Chriſti*. Diutius ritum communionis generalis feria VI. Paraſceves in aliquibus Eccleſiis Latinis perduraſſe patet ex earum Sacramentariis a Martenio allatis Tom. III. *de antiq. Eccl. ritib.* p. 367., qui addit ſe audiviſſe hactenus quoque perſeverate in Claromontana Eccleſia apud Arvernos. Ceterum in nonnullis Eccleſiis antiquitus etiam ſabbatho ſancto, retracto iam nocturno vigiliarum officio ad diem ipſam, communio tam Clero, quam populo porrigebatur, Miſſa abſoluta, uti veteribus monumentis innixus refert citatus Martenius pag. 423. Hinc ob memoratam retractionem factum eſt, ut hac die obſoleverit lectio hiſtoriae Dominicae paſſionis, & reſurrectionis ſecundum Marcum, quae ante ſacratiſſimae noctis vigilias ſolemnes forte hora nona abſolvebatur in Eccleſiis, & ad feriam III. fuerit translata, cum die Palmarum legeretur hiſtoria ſecundum Matthaeum, feria IV. ſecundum Lucam, & feria VI. ſecundum Iohannem. Vide hac de re, quae Ven. Card. Thomaſius erudite adnotavit ad *Capitular. Evangelior.* pag. 457. Tom. V. *Oper.*

mendat ſimplicitas, quae vetuſtatis, & ingenuitatis nota eſt luculentior, quam quae maxime, Sacramentarii Gelaſiani.

Prolixior quidem hic ritus proſtat etiam in Antiphonario Gregoriano ſub hoc titulo (*a*): *Feria VI.*, *quod eſt Paraſceven ad Hieruſalem*; qui nimirum ſic incipit: *Primitus enim vadit Sacerdos*, *& induunt ſe veſtimentis*, *ſicut mos eſt*, *& veniunt ante altare*, *& dicit Orationem hanc* „ Deus a quo & Iudas „ *Poſtea legitur Epiſtola*. Tum ſequuntur preces reliquae, hincque paſſio ſecundum Iohannem &c. *Hoc expleto incipit Sacerdos Orationes ſolemnes*, *quae ſequuntur* „ Oremus dilectiſsimi no- „ bis „ *ſequitur* „ Oremus. Flectamus genua. Levate „ *ſequitur*, „ Omnipotens ſempiterne Deus, qui gloriam tuam. Ore- „ mus pro beatiſsimo „ *ſic finiatur ſicut in Lectionario dicitur*. *Quas vero expletas*, *ingrediuntur Diaconi in ſacrarium*, *ac tollunt corpus*, *& ſanguinem Chriſti*, *quod pridie remanſit*, *& ponunt ſuper altare*. *Tunc venit Sacerdos ante altare*, *adorans Crucem Domini*, *ipſe & Diac.*, *& omnis Clerus*, *vel populus*. Poſt haec habetur ſequens *Antiphona ad Crucem adorandam* „ Ecce lignum Crucis, in quo ſalus mundi penendit: ve- „ nite adoremus „ ter repetita, cum Pſalmo: *Beati immaculati in via*, *qui ambulant in lege Domini*. Tum aliae Antiphonae ſuccedunt, & Pſalmi *Deus miſereatur nobis &c. Deus in nomine tuo &c.* Deinde *ad Crucem ſequitur Antiphona* „ Popule „ meus quid feci tibi &c. „ quae vulgo audit *improperia*. Haec Antiphona poſt Crucem denudatam, & celebre praeconium *Ecce lignum &c.* uſque adhuc uſurpatur cum aliis Antiphonarii Gregoriani precibus in paucis tantum mutatis. Sequitur primum Triſhagius graece, & deinde latine hoc modo (*b*):

Hagios ho Theos, *Hagios Iſchiròs*,
Hagios Athanatos, *eleyſon hymas*.
Sanctus Deus, *Sanctus Fortis*,
Sanctus Immortalis, *miſerere nobis*.

Tum

(*a*) Tom. v. *Oper.* Ven. Cardin. Thomaſii pag. 82 & ſeqq.

(*b*) Hymnus, quem vulgo *Triſhagium* dicimus, pia eſt, & frequentiſſima oratio in Graeco ritu, uti recte advertit Iacobus Goarius in notis ad Euchologium pag. 109. Venet. 1730., quae tamen in Latino ritu non dicitur praeter quam ſemel in anno feria

Tum cetera Reſponſoria, & verſiculi; hincque verſus Venantii Honorii Fortunati:

Pange lingua glorioſi praelium certaminis: & ſuper Crucis trophaeo dic triumphum nobilem; qualiter Redemptor orbis immolatus vicerit.

Crux fidelis, inter omnes arbor una nobilis: nulla ſilva talem profert fronde, flore, germine: dulce lignum, duces clavos, dulce pondus ſuſtinet.

De

ria VI. maioris hebdomadae, idque graece, & latine. Cur autem bilingui formula canatur, quaerunt ſacrarum rerum ſtudioſi. Auctor libri, cui titulus: *Expoſitio brevis antiquae Liturgiae Gallicanae* apud Martenium *de antiquis Eccleſiae ritibus* lib.1.cap.4.pag.463. Tom.1., qui huius operis ſcriptorem ſtatuit Sanctum Germanum Epiſcopum Pariſienſem, aut aliquem ex eius diſcipulis, primus innotuit, qui hanc diſquiſitionem fecerit: *Aius vero* (inquit, ſcribens *Aius* pro *Agios*) *ante Prophetia pro hoc cantatur in Graeca lingua, quia praedicatio novi teſtamenti in mundo per Graeca lingua proceſſit, excepto Matthaeo Apoſtolo, qui primus in Iudaea evangelium Chriſti Hebraeis litteris edidit. Servate ergo honorem linguae, quae prima evangelium Chriſti, vel ſuo ſenio recipit, vel ſuis litteris docuit primum canticum. Incipiente praeſule eccleſiae Aius pſallet dicens Latino cum Graeco, ut oſtendat iunctum teſtamentum vetus, & novum.* Alia eſt ſententia Goarii loc. cit., ubi poſt relatam Theophanis auctoritatem ſuper origine hymni *Trishagius*, qui eam aſſignat temporibus Theodoſii Iunior. cum nempe Conſtantinopolis terrae motibus quateretur inſolitis, adoleſcens divina virtute in aerem ſublatus die, ut alii volunt, Paraſceves ſanctae, audivit vocem monentem eum Epiſcopo Proclo, ac populo nunciare, *ut litanias ſic facerent, & dicerent, ſanctus Deus, ſanctus fortis, ſanctus & immortalis, miſerere nobis: nihil aliud apponentes;* haec ſubdit: *Occidentalis enim* (Eccleſia) *nonniſi in die ſancto Paraſceves, graece ſimul, & latine, hoc quidem pacto, ut ſua lingua Deum celebret; illa, ut divinam ipſam vocem Byzantii a puero Lectore* (Lectorem fuiſſe quidam aſſerunt) *auditam imitetur, canendum ſuſcepit.* Goarium ſecutus eſt Euſebius Renaudotius *Liturg. Oriental. collect.* Tom. II. pag. 69. Pariſiis 1716., qui id factum putat, ut peregrina illius origo ſignificaretur: *Quia, ait, ſecundum Graecos prope omnes, in Eccleſia CPolitana cani coepit Angelo revelante, ſub Proclo Patriarcha. Ita Theophanes, Nicephorus lib. 18. cap. 51. Damaſcenus de fide orthodoxa lib.3.cap.19., & in ſingulari epiſtola, & alii multi.* Haec de hymno Trishagio; de graecis vero, & latinis lectionibus, quae aliquando ſimul obtinuerunt in ſacris penes non paucas Latinas Eccleſias, & nunc pariter uſurpantur Romae in Pontificalibus Miſſis, tum

& in

De parentis protoplaſti fraude Factor condolens; quando pomi noxialis mortem morſu corruit: ipſe lignum tunc notavit, damna ligni ut ſolveret.

Crux fidelis.

Hoc opus noſtrae ſalutis ordo depopoſcerat: multiformis proditoris ars ut artem falleret; & medelam ferret inde, hoſtis unde laeſerat.

Crux.

Quando

& in aliis Eccleſiis, ac praeſertim Pariſiis in monaſterio S. Dionyſii Ord. Benedictini, Amalarius *de Eccl. offic.* lib. II. cap. 1. haec adnotat: *Sex lectiones ab antiquis Romanis graece, & latine legebantur (qui mos apud CPolim hodieque uſurpatur) ni fallor propter duas cauſſas: unam, quia aderant Graeci, quibus incognita erat Latina lingua: alteram, propter unanimitatem utriuſque populi.* De more Eccleſiae CPolitanae ab Amalario indigitato, legendae ſunt epiſtolae S. Nicolai I. ad Michaelem Imp., & S. Leonis IX. ad Michaelem Patriarch. CPolitanum. Sed Anſelmus Havelbergenſis Epiſcopus, qui floruit anno MCXLV. hunc ritum non ab imperitia, ſed potius a peritia utriuſque linguae apertiſſime repetit: *Italia quoque* (ſcribit lib. III. *Dialogor.* cap. 16. Tom. I. *Spicileg. Acheryani*) *antiquitus magna Graecia appellabatur, ſicut antiquarum hiſtoriarum ſcriptores dicunt, & in urbe Roma utriuſque linguae ſermo uſitatus vigebat, & viciſſim Latini Graeca, & Graeci Latina lingua utebantur, & neutra fuit aliena Romam habitantibus. Unde factum eſſe videtur, ut quaedam Latinis, quaedam etiam Graecis nominibus nuncupentur in Eccleſia, & inde inſtitutum eſt quoque in Ordine Romano, quod in ſummis feſtivitatibus ad Miſſarum ſolemnia lectiones, & evangelia latine, & graece recitentur propter praeſentiam utriuſque populi in utraque lingua eruditi.* Concinit Anonymus Turonenſis in *ſpeculo Eccleſiae* apud citatum Martenium lib. 1. cap. 3. pag. 279. ſuam tamen adiiciens ſententiam: *In hac Miſſa* (Natalis Domini) *cantatur „ Gloria „ in excelſis Deo „ quod antea tacebatur . . . . Nos canimus illud graece iuxta morem antiquum Romanae Eccleſiae, cui tam Graeci, quam Latini ſolebant antiquitus deſervire, & a Graecis habitabatur maxima pars Italiae, unde lingua Graeca non minus erat nota etiam Latinis, quam Latina, & quia LXX. Interpretes utrumque teſtamentum tranſtulerunt* (errat, ſolum vetus) *ex Hebraeo in Graecum, & inde translatum eſt in Latinum, ob honorem, & reverentiam linguae Graecae cantamus canticum angelicum illud graece in prima quidem Miſſa, ſed in ſecunda latine. Decet enim ut Graeca praecedat Latinam tamquam mater filiam, Graecamque Latina ſequatur ceu filia matrem. Unde temporibus Gelaſii Papae, antequam Gregorius introitus Miſſae compoſuiſſet, omnes Miſſae incipiebant a* κύριε ἐλέησον, *quod Domine miſerere,* ἡμᾶς, *ideſt nobis.* Tandem, ne longius ſim quam ſimplex adnotatio ferat, Car-

Quando venit ergo ſacri plenitudo temporis ; miſſus eſt ab arce Patris , natus nobis conditor ; atque ventre virginali factus carne prodiit .

Crux .

Vagit infans inter arcta conditus praeſepia ; membra pannis involuta Virgo mater alligat : & manus pedeſque , crura ſtricta cingit faſcia .

Crux fidelis .

Luſtra

Cardinalis Bona *rer. liturg.* lib. II. cap. 4. pag. 279. Venetiis 1764. ad rem noſtram adludens , ubi agit de precatione *Kyrie eleiſon* , haec habet : *Dicunt Latini in Miſſa* „ Kyrie eleiſon „ *dicunt etiam Hebraice* „ Amen , Alleluia , Sabaoth , & „ Oſanna „ *quia fortaſſis ſic ab initio Eccleſiaſticarum precum inſtitutores voces iſtas uſurparunt , ut oſtenderent unam eſſe Eccleſiam , quae ex Hebraeis , & Graecis primum , deinde ex Latinis coadunata eſt : vel quia myſteria noſtrae fidei tribus hiſce linguis ab Apoſtolis , & Evangeliſtis , eorumque immediatis ſucceſſoribus conſcripta fuerant : quae quidem linguae in titulo Crucis quodammodo conſecratae ſunt .* Quare in libro , cui titulus : *Gemma animae de antiquo ritu Miſſarum* lib. I. cap. 92. Tom. xx. *Biblioth. Patrum* pag. 1059. legitur : *Kyrie eleyſon , dicitur Domine miſerere ; Chriſte eleyſon , dicitur Chriſte miſerere ; hymas , nobis . Hoc ideo graece canitur , quia Miſſa tribus linguis , Hebraica , Graeca , & Latina cantari praecipitur ; ſicut & titulus in paſſione Domini ſcriptus fuiſſe legitur . Hebraicum quippe eſt alleluia , oſanna , & amen : Graecum vero Kyrie eleyſon , & Chriſte eleyſon : Latinum reliquum officium .* Tum & in aliquibus libris Sacramentalibus apud Martenium *de antiq. Eccl. ritib.* lib. II. cap. 13. To. II. p. 678. in dedicatione Eccleſiae alphabetum in pavimento novae Eccleſiae cinere conſperſo deſignandum per Epiſcopum cum baculo paſtorali non ſolum graece , & latine , ſed etiam hebraice praeſcribitur , quibus linguis , nempe Graeca , Hebraica , & Latina apoſtolus , & evangelium lecta fuere in ſolemni Alexandri V. coronatione celebrata in Concilio Piſano , uti videre eſt in actis eiuſdem Concilii , ſeſs. xviiI. apud Labb. Tom. xv. *Concilior.* p. 1226. Ex omnibus hucuſque relatis opinionibus circa antiquiſſimam unius rei recitationem bilinguem , quandoque trilinguem in ſacris , illa mihi magis arridet , quae ritum hunc invectum primum refert ad captum illorum , qui unam , vel alteram linguam ignorabant . Habemus hac de re vetuſtiſſima exempla apud Livium lib. xxviiI. c. xlv. , qui de Hannibale ſcribit , quod in templo Iunionis Laciniae *aram condidit , dedicavitque cum ingenti rerum ab ſe geſtarum titulo , Punicis , Graeciſque litteris inſculpto ;* tum & apud Capitolinum , qui *Gordiano Pio ſepulcrum apud Circeium caſtrum factum in finibus Perſidis cum titulo Graecis , & Latinis , & Perſicis , & Aegyptiacis litteris*

teris

Luſtra ſex qui iam peracta tempus implens corporis, ſe volente, natus ad hoc, paſſioni deditus, Agnus in crucis levatur immolatus ſtipite.

Crux.

Hic acetum, fel, arundo, ſputa, clavi, lancea, mite corpus perforatur: ſanguis, unda profluit: terra, pontus, aſtra, Mundus quo lavantur flumine.

Crux fidelis.

Flecte

teris, ut ab omnibus legeretur. Eadem de cauſſa apud Coptitas in Aegypto Graecam lectionem Copticam interpretationem ſequutam fuiſſe, antequam ulla omnino apud Chriſtianos foret Arabicae linguae cognitio, probat Renaudotius Tom.I. *Liturg. Orient.* p. 207. In Sacramentario Gelaſiano lib. I. tit. 35. apud Ven. Card. Thomaſium Tom. VI. *Oper.* inter ritus baptiſmales praeſcribitur Sacerdoti compellare baptizandos de eorum lingua, ideſt: *Qua lingua confitentur Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum*; ac ſi graece reſponderint, praeſcribitur Acolythum cantantem recitare Graeco idiomate ſymbolum fidei. Huic rei proſpexiſſe videtur etiam Leo III. cum *pro amore* (uti refert Anaſtaſius n. 84.) *& cautela orthodoxae fidei fecit ubi ſupra* (in Baſilica Principis Apoſtolorum) *ſcuta argentea duo, ſcripta utraque ſymbolo, unum quidem litteris Graecis, & aliud Latinis: ſedentia dextra, laevaque ſuper ingreſſum corporis*. Verum illud quoque notandum venit de Ordinibus Romanis a Mabillonio editis Tom. II. *Muſ. Ital.*, in Ordine I. omnium vetuſtiſſimo lectiones ſabbathi antepaſchalis deſignari pagin. 25. primum graece legendas, & dein latine; atque hoc ritu lectas antiquitus fuiſſe docet etiam Anaſtaſius, qui de Benedicto III. num. XXXII. ſcribit: *Volumen praeparare ſtuduit, in quo Graecas, & Latinas lectiones, quas die ſabbatho S. Paſchae, ſimulque & S. Pentecoſtes Subdiaconi legere ſoliti ſunt*. Sed in poſterioribus Ordinibus a X. incipiendo, quem Mabillonius ad ſaeculum XI. revocat, lectio Latina praecedit, & Graeca ſubſequitur, nonniſi ex voluntate Papae facienda; *Subdiaconus vero* (en verba pag. 104.) *finita benedictione cerei, aſcendens ambonem incipit legere ſine titulo* „ In „ principio Deus creavit caelum, „ & terram „ *Eo vero completo, ſi Dominus Papa velit, Graecus Subdiaconus eamdem lectionem graece relegit*. Idem habetur in Ordine XI. auctore Benedicto B. Petri Canonico, qui floruit ſaeculo XII. ineunte p. 138., in quo tamen illud advertendum, primam nempe mentionem occurrere de epiſtola, & evangelio graece canendis poſt epiſtolam, & evangelium Latinum in ſolemni Miſſa Rom. Pontificis; tum & in Ordine XIV., auctore Iacobo Caietano, pag. 372., ac demum in Ordine XV., auctore Petro Amelio, pag. 497. Num autem in maiori hebdomada paſſio quoque pri-

Flecte ramos arbor alta; tenſa laxa viſcera, & rigor lenteſcat ille, quem dedit nativitas; ut ſuperni membra Regis miti tendas ſtipite.

Crux fidelis.

Sola digna tu fuiſti ferre ſaecli precium, atque portum praeparare nautae mundi naufrago: quem ſacer cruor perunxit, fuſus Agni corpore.

Crux fidelis.

Al. *Gloria aeterno Patri pro ſalute poſita, gloria unico eius coaeterno Filio Spirituique Sancto in ſempiterna ſaecula. Amen.*

Al. *Gloria, & honor Deo uſquequo altiſſimo, una Patri Filioque cum inclito Paraclito; cui laus eſt, & poteſtas per aeterna ſaecula.*

Al. *Sit Patri, Natoque ſummo gratia cum Spiritu: ſempiternae Trinitati laus, ſalus, & gloria, quae creavit, quae redemit, quaeque nos illuminat* (*a*).

P Tan-

primum latine, & dein graece legeretur, incertum eſt, cum Auguſtinus Patritius in lib.III. ſacrarum caerimoniarum Romanae Eccleſiae cap. 7. *de evangelio, & epiſtola graece legendis* haec ſolum adnotaverit: *Ego reperi in antiquiſſimis codicibus non modo evangelium, & epiſtolam, ſed & prophetias, & paſſionem Chriſti in ſacra hebdomada, & alia huiuſmodi graece legi conſuetum fuiſſe.* Tandem longa haec diſquiſitio abſolvenda eſt auctoritate Iohannis VIII. R. P., qui in ep.CCXLVII. ad Sfentopulchrum Comitem ap. Labb. Tom.XI. *Concilior.* pag.171. pronunciavit nec a fide, nec a ſana doctrina alienum eſſe, ut Miſſa, & cetera Eccleſiae divina officia Illyrico ſermone recitarentur, quia Deus, ut praecipuas linguas tres Hebraeam, Graecam, & Latinam, ita & ceteras edidit, ut eius laudi, gloriaeque inſervirent: *Neque enim*, ait, *tribus tantum, ſed omnibus linguis Dominum laudare auctoritate ſacra monemur ..... Nec ſane fidei, vel doctrinae aliquid obſtat, ſive Miſſas in eadem Sclavonica lingua canere, ſive ſacrum evangelium, vel lectiones divinas novi, & veteris teſtamenti bene translatas, & interpretatas legere, aut alia horarum officia omnia pſallere: quoniam qui fecit tres linguas principales, Hebraeam ſcilicet, Graecam, & Latinam, ipſe creavit & alias omnes ad laudem, & gloriam ſuam. Iubemus tamen, ut in omnibus Eccleſiis terrae veſtrae propter maiorem honorificentiam evangelium latine legatur; & poſtmodum Sclavonica lingua translatum in auribus populi latina verba non intelligentis, annuncietur; ſicut in quibuſdam Eccleſiis fieri videtur.*

(*a*) Huiuſmodi verſus etiam in *Hymnario de anni circulo* a Card. Thomaſio

Tandem poſt preces reliquas ita finis imponitur: *Hoc expleto, venit Sacerdos ante altare; & dicit* „ Oremus. Praeceptis ſalutaribus moniti „ *Et Oratio Dominica. Deinde* „ Libera nos quaeſumus Domine „ *Non dicat* „ Pax Domini „. *Hoc expleto, communicent omnes.*

Cum Sacramentario Gelaſiano, & Antiphonario Gregoriano concinit Ordo Romanus, quem ad tempora Gregorii Magni Pontificis revocat cl. Iohan. Mabillonius (*a*). Certe hunc Ordinem ſaeculo VIII. antiquiorem eſſe conſtat ex Amalario, qui floruit ineunte ſaeculo nono, quique *libellos de Ordine Romano* commentatus eſt. Diverſi erant hi libelli, non modo pro diverſis argumentis, ut libellus de Miſſa Pontificali, libellus de Miſſa Epiſcopali ſecundum ritum Eccleſiae Romanae, libellus de Baptiſmo, libellus de Ordinibus ſacris &c. ſed etiam pro uno, eodemque argumento, id quod ex eodem Amalario conſtat, qui *diverſos libellos* citat pro uno eodemque Officio hebdomadae Paſchalis. Hinc idem Mabillonius

maſio edito, tribuuntur Fortunato (Tom. I. *Oper.* pag. 363.), quin & in recentiori *Collectione Piſaurenſi omnium poematum, carminum, fragmentorum Latinorum &c. a prima Latinae linguae aetate ad VI. uſque Chriſtianum ſaeculum* Tom. VI. pag. 197. eidem adſcribuntur. Verum nos cum Iacobo Sirmondio carmen hoc Claudiano potius quam Fortunato referendum putamus. Is enim in notis ad epiſtolam tertiam libri IV. Epiſtolarum Sidonii Apollinaris pag. 43. Pariſiis 1652., in qua Sidonius Claudiano gratulatur de quodam hymno his verbis: *Iam vero de hymno tuo ſi percunctere quid ſentiam; commaticus eſt, copioſus, dulcis, elatus, & quoſlibet Syricos dithyrambos amoenitate poetica, & hiſtorica veritate ſupereminet*; haec ſubdit: *Adnotat hoc loco Scholiaſtes quidam hymnum ſignificari, cuius initium eſt* „ Pange „ lingua glorioſi praelium certa- „ minis „ *Et quidem ſtilum redolet cultiorem, quam Fortunati eſſe ſoleat, cui tamen illum tribuunt antiqui etiam ſcriptores, & codices. In eum praeterea ſcite cadunt omnia, quae laudantur a Sidonio &c. Denique Claudiano carmen hoc vindicat non ſolum vetus Scholiaſtes, quem dixi: verum etiam Gennadius, non quidem ut editus eſt, ſed prout in codice coenobii S. Michaelis de Tumba vulgatis auctior in Claudiani mentione legitur his verbis*: „ Scripſit & alia nonnulla: inter „ quae & hymnum de paſſione „ Domini, cuius principium eſt: „ *Pange lingua glorioſi*. Fuit autem „ frater Mamerti Viennenſis Epi- „ ſcopi „.

(*a*) *In commentar. in Ordin. Rom.* pag. VIII. Tom. II. *Muſ. Ital.*

nius veterum ſententiam ſecutus, totidem libellos Ordinis Romani diſtinguit, quot eiuſdem diverſive de ritibus Romanis argumenti habent ſcriptiones. In primo igitur vetuſtiſsimo libello, qui inſcribitur: *Ordo eccleſiaſticus Romanae Eccleſiae, qualiter Miſſa Pontificalis celebretur*, quique laudatur paſſim, & exponitur ab Amalario, ita caerimonia ſalutationis Crucis in feria VI. Paraſceves declaratur (*a*): *Poſt orationes praeparatur Crux ante altare, interpoſito ſpatio inter ipſam, & altare, ſuſtentata hinc inde a duobus acolytis, poſito ante eam oratorio. Venit Pontifex, & adoratam deoſculatur Crucem: deinde Presbyteri, Diaconi, Subdiaconi, & ceteri per ordinem, deinde populus. Pontifex vero ſedet in ſede, uſque dum omnes ſalutent. Presbyteri vero duo priores, mox ut ſalutaverint, intrant ſecretarium, vel ubi poſitum fuerat corpus Domini, quod pridie remanſit, ponentes eum in patena: & Subdiaconus teneat ante ipſos calicem cum vino non conſecrato, & alter Subdiaconus patenam cum corpore Domini: quibus tenentibus accipit unus Presbyter patenam, & alter calicem, & deferunt ſuper altare nudatum. Pontifex vero ſedet, dum perſalutet populus Crucem. Nam ſalutante Pontifice, vel populo Crucem, canitur ſemper antiphona*: „ Ecce „ lignum Crucis, in quo ſalus mundi pependit, venite ado„ remus „. *Dicitur pſalmus* CXVIII. *ideſt* „ Beati immaculati „. *Qua ſalutata, & repoſita in loco ſuo, deſcendit Pontifex ante altare, & dicit*: „ Oremus. Praeceptis ſalutaribus moniti. Pa„ ter noſter „ *ſequitur* „ Libera nos quaeſumus Domine „. *Cum dixerint* Amen, *ſumit de ſancta, & ponit in calicem, nihil dicens: & communicant omnes cum ſilentio, & expleta ſunt univerſa. Et dicit Pontifex*: „ In nomine Patris, & Filii, & Spi„ ritus Sancti, pax tibi „. *Reſpondent*: „ Et cum ſpiritu tuo „. *Et poſt paullulum veſperam dicit unuſquiſque privatim, & ſic vadunt ad menſam.*

In quadam Appendice *de officiis in noctibus a coena Domini uſque ad Paſcha*, quae in nonnullis codicibus ſequitur poſt memoratum primum libellum Ordinis Romani (*b*), cuius Appen-

(*a*) Pag. 23. Tom. cit.

(*b*) Pag. 30. & ſeqq. Tom. cit.

dicis mentio quoque habetur penes Amalarium, exſtat alia deſcriptio adorationis Crucis, quae cum iiſdem fere verbis ſuperius allatae reſpondeat, ſupervacaneum ducimus illam heic exhibere. Quare illud potius notandum venit, quod licet in his vetuſtiſsimis Ordinibus nulla quidem vivifici ligni Dominicae Crucis mentio occurrat, ſed ſola Crucis imago deſignetur; tamen in dubium revocari non poteſt, hanc in Paraſceve caerimoniam, ubi verum Crucis lignum aderat, non alio, quam illo tunc peractam fuiſſe. Amalarius Diaconus Metenſis in quatuor libris, quos ex Ludovici Pii Imp. praecepto poſt annum IↃCCCXIX. concinnavit *de eccleſiaſticis officiis*, quique aliter *officiales* dicti ſunt, huius rei luculentiſſimum teſtimonium perhibet; qui nempe de hac ipſa caerimonia locutus de vero Crucis ligno tunc uſurpato fidem facit. *Fuerunt quidam* (ut ipſe (*a*) inquit) *qui volebant dicere, ſe velle eamdem Crucem adorare, in qua Dominus crucifixus eſt. Utinam in omnibus Eccleſiis haberetur, prae ceteris merito veneraretur. Quamvis omnis Eccleſia eam non poſſit habere, tamen non deeſt eis virtus ſanctae Crucis in eis crucibus, quae ad ſimilitudinem Dominicae Crucis factae ſunt, ſicut legitur in libro hiſtoriae Anglorum de Oſuualdo fideli Rege, & Chriſtianiſſimo, qui in periculo poſitus, ſubito fecit crucem, & fixit in terram, eaque adorata, & deprecato Deo coram illa, dedit eis victoriam.* Alium ritum idem Amalarius in libro *de Ordine Antiphonarii* (*b*) adnotavit circa ſalutationem Crucis, qui in eo conſiſtit, quod huius ſacrae, ac pientiſſimae ſolemnitatis occaſione lumina haud accendebantur, uti nec modo adhibentur: *Mos Eccleſiae noſtrae*, inquit, *obtinet per tres noctes, ideſt, per feriam V., quae vocatur Coena Domini, & per VI., quae vocatur Paraſceve, & per VII., quae vocatur Sabbathum ſanctum, ut extinguantur luminaria Eccleſiae in nocte. De more ſanctae matris Romanae noſtrae Eccleſiae interrogavi Archidiaconum: Theodorum memoratae Eccleſiae, ſcilicet Romanae: qui reſpondit: Soleo eſſe cum Apoſtolico in Lateranis, quando officium cele-*

(*a*) Lib. I. cap. 14. *de adoratione S. Crucis* pag. 950. Tom. XIV. *Biblioth. Patr.* Lugduni 1677.

(*b*) Cap. XLIV. *de extinctione luminum circa ſepulturam Domini* pag. 1052. Tom. cit. *Bibl. Patr.*

celebratur de Coena Domini. Nihil enim ibi in eadem nocte obſervatur de extinctione luminum. In feria VI. nullum lumen habetur lampadum, ſive cereorum in Eccleſia in Hieruſalem quamdiu dominus Apoſtolicus ibi orationes ſolemnes facit, & quamdiu Crux ſalutatur: ſed tamen in ipſa die novus ignis accenditur, de quo reſervatur uſque ad nocturnale officium (*a*).

Accedit inſuper Alcuinus Diaconus Eboracenſis, ſeu auctor libri *de divinis officiis*, opus olim Alcuino perperam tributum, ſed quod conſtat poſt annum M. conſarcinatum fuiſſe ex diverſis Amalarii, ipſiuſque Alcuini genuinis centonibus, aliorumque auctorum Alcuino poſteriorum: *Circa veſperum vero* (ita libri collector (*b*) ritum exponit) *in omnibus Eccleſiis Presbyterorum, ſeu Epiſcoporum, atque coenobiorum praeparatur Crux ante altare, & ſuſtentatur hinc inde a duobus acolytis, poſito ante eam orario, venit Pontifex ſolus, & adoratam deoſculatur Crucem. Deinde Presbyteri, & Diaconi, & ceteri per ordinem, deinde populus. Pontifex vero ſedet in ſede, donec omnes ſalutent. Presbyteri vero duo priores, ſalutata Cruce, intrant in ſacrarium, & deferunt corpus Domini, quod pridie remanſit, ponentes illud in patena, & ſubdiaconus tenet ante ipſos calicem cum vino non conſecrato, & alter Subdiaconus patenam cum ſupradicto corpore Domini, a quibus accipiunt Presbyteri patenam, & calicem, & ponunt ſuper altare nudatum: Pontifex vero ſedet dum ſalutat populus Crucem. Salutante enim prius Pontifice, ſeu populo, cantatur Antiph.* „ Ecce lignum Crucis „ *Pſalm.* „ Beati „ immaculati „ *Item* „ Crucem tuam adoramus &c. „ *Pſalm.* „ Deus miſereatur „. *Alia* „ Dum fabricator „. *Quando hanc Crucem adoramus, omne corpus noſtrum haereat terrae, & ipſum quem adoramus, quaſi pendentem in ea mente cernamus, virtutemque, quam accepit ex Dei Filio, ipſam adoramus. Proſternimur corpore ante Crucem, mente ante Dominum: veneramur Crucem, per quam redempti ſumus, & illum deprecamur, qui*

(*a*) Novi ignis benedictio olim in triduo ante Paſcha peragebatur. Hodie tamen huiuſmodi ritus communiter obtinet in ſolo ſabbatho ſancto antepaſchali.

(*b*) Cap. XVIII. *de feria VI., quae eſt Paraſceve* pag. 1052. & ſeq. Lutetiae Pariſiorum 1617.

qui redemit. Qui vero non poſſunt habere de ligno Domini, ſalva fide adorant illam, quam habent, de quibus venerationibus, quae conveniunt, per ſingulas orationes ſuperiores, B. Iohannes Chryſoſtomus (*a*) *inter cetera ſic dicit: Crux Eccleſiae fundamentum, atque orbis terrae cautela. Crux annuntiatio Apoſtolorum, gloriatio Martyrum, ſpes Chriſtianorum. Crux gaudium Sacerdotum, Virginum caſtitas, Monachorum abſtinentia. Crux Imperatorum philoſophia, & Regum magnificentia, & deſtructio ſuperborum. Crux*

(*a*) Similes formulas exhibet Amalarius *de Eccleſ. Offic.*lib. 1. cap. 14. ex homilia Chryſoſtomi *de Cruce, & latrone*; verum in hac ſanctiſſimi Praeſulis homilia, quae genuinum eius opus eſt, eaedem non reperiuntur. Exſtant ſiquidem in homilia *in venerabilem, atque vivificam Crucem, & de primorum hominum tranſgreſſione*, quae iamdiu inter ſpurias amandata fuit, uti adnotat cl.Montfauconius Tom.II. *Oper.* pag. 822. & ſeqq. Ceterum huiuſmodi Crucis encomia paſſim leguntur penes Graecos, Latinoſque Scriptores. Habes in Menologio Graecorum XIII. ſeptembris in profeſto Exaltationis S.Crucis, praeclara Crucis elogia, ubi Crux ſalutatur, adoratur: *Salve Crux vitam ferens, pietatis inſuperabile trophaeum, ianua paradiſi, fidelium fulcrum*. Hymnus Fortunati *Vexilla Regis prodeunt* apud Ven.Card.Thomaſium in *Hymnario* Tom.II. *Oper.* pag. 364., his encomiis abundat. Quomodo autem hae locutiones accipiendae ſint, docet Auguſtinus Tract. 1. *in Iohan.* Tom. III. Part.II. *Oper.*p.296.Pariſ.1680. *Dicimus quidem lignum vitam, ſed ſecundum intellectum lignum Crucis unde accepimus vitam*. Tropice nimirum vel relative haec intelligenda ſunt. Quare in citato hymno hoc ſenſu recte dicitur: *O Crux, ave ſpes unica hoc paſſionis tempore, auge piis iuſtitiam, reiſque dona veniam*, ubi nempe per metonymiam Crucis vocabulo Chriſtus deſignatur, cum ceteroquin Crux, licet inſtrumentum fuerit ſalutis noſtrae, tamen inanima res ſit, ideoque remotiſſima a poteſtate augendae piis gratiae, & veniae reis impertiendae. Nulla igitur ſpes in imaginibus, ideoque nec in imagine Crucis ponenda eſt: *Imagines porro Chriſti* (aiunt Patres Concilii Tridentini ſeſs. XXV. *de invocat., & venerat., & reliquiis ſanctor., & ſacr. imagin.*) *Deiparae virginis, & aliorum Sanctorum, in templis ſemper habendas, & retinendas: eiſque debitum honorem, & venerationem impertiendam: non quod credatur ineſſe aliqua in iis divinitas, vel virtus, propter quam ſint colendae: vel quod fiducia in imaginibus ſit figenda: veluti enim fiebat a Gentibus, quae in idolis ſpem ſuam collocabant; ſed quoniam honos, qui eis exhibetur, refertur ad prototypa, quae illae repraeſentant: itaut per imagines, quas oſculamur, & coram quibus caput aperimus, & procumbimus, Chriſtum adoremus, & ſanctos, quorum illae ſimilitudinem gerunt, veneremur.*

Crux aegrotantium medicus, *navigantium gubernatio*, *atque periclitantium portus*. *Crux inſenſatorum ſapientia*, *atque libertas ſervorum*. *Crux ſcandalum Iudaeorum*, *atque perditio impiorum*. *Crux templorum deſtructio*, *& repulſio idolorum*. *Qua ſalutata*, *& repoſita in loco ſuo*, *venit Pontifex ante altare*, *& dicit*: „ Praeceptis ſalutaribus moniti. Pater noſter. Libera nos „ quaeſumus Domine „. *Cum vero dixerint* „ Amen „ *ſumit de pane ſancto*, *& ponit in calicem ſilendo*. „ Pax Domini „ *non dicit*, *quia non ſequuntur oſcula circumſtantium*. *Sanctificatur autem vinum non conſecratum per ſanctificatum panem* (*a*). *Tunc autem*

(*a*) Amalarius *de Eccl.offic.*lib.I. cap.15., cui titulus *de praeſentatione corporis Domini in altari*, *& calicis cum vino non conſecrato*, haec habet: *In ſuperius memorato libro inveni ſcriptum*, *ut duo Presbyteri afferant poſt ſalutationem Crucis corpus Domini*, *quod pridie reſervatum fuit*, *& calicem cum vino non conſecrato*, *quod tunc conſecretur*, *& inde communicet populus*. *De qua obſervatione interrogavi Archidiaconum*, *& ille reſpondit*: *In ea ſtatione, ubi Apoſtolicus ſalutat Crucem*, *nemo ibi communicat*. *Qui iuxta ordinem libelli per commixtionem panis & vini conſecrat vinum*, *non obſervat traditionem Eccleſiae*, *de qua dicit Innocentius*, *iſto biduo ſacramenta penitus non celebrari*. Haec confuſe nimis proſtant in textu Amalarii, atque ex his licet arguere ipſum cenſuiſſe in Paraſceve vinum non conſecratum per admixtionem ſacrae hoſtiae conſecrationem recipere, proindeque ritum hunc adhibitum putaſſe contra traditionem Eccleſiae, de qua Innocentius I. R. P. in epiſtola ad Decentium apud Couſtantium *Epiſt.RR.PP.* pag. 859. haec refert: *Utique conſtat*, *Apoſtolos biduo iſto*, *& in maerore fuiſſe*, *& propter metum Iudaeorum ſe occoluiſſe*. *Quod utique non dubium eſt*, *in tantum eos ieiunaſſe biduo memorato*, *ut traditio Eccleſiae habet iſto biduo ſacramenta penitus non celebrari*. Vide ſuper hac quaeſtione, quae docte adnotavit Mabillonius *in Comment. in Ordin. Roman.* pag. LXXVI., & ſeqq. Tom. II. *Muſ. Ital.* Ceterum in feria VI. calicis cum vino aqua mixto, vel cum ſolo vino, uti mos erat nonnullarum Eccleſiarum, ſanctificatio extrinſecus adveniens ex contactu ſacrae particulae, dilucide explicatur ab Oderico *in ordine Officiorum* Eccleſiae Senenſis p.144. *Sacerdos*, ait, *more ſolito hoſtiam frangat*, *& ea fracta cum dixerit* „ Per „ omnia ſaecula ſaeculorum „ *& reſponſum fuerit* „ Amen, Pax Do- „ mini „ *non dicatur*, *neque pax per oſcula detur*, *ſed ſumat Sacerdos de ſancta* (*ſcilicet hoſtia*) *& ponat in calice nihil dicens*, *non enim poſſet recte dicere* „ commixtio corporis „ & ſanguinis „ *cum ibi non ſit ſanguis*, *ſed ut dicit Amalarius* „ ſan- „ ctificatur vinum non conſecra- „ tum per corpus Domini im- „ miſſum „ *non autem conſecratur*, *nam conſecrare eſt conſecratione* „ tran- „ ſubſtantiare „ *ſanctificari vero eſt ex tactu ſacrae rei reverendum effici*.

communicant omnes cum ſilentio ; & expleta ſunt univerſa . De hac autem communicatione utrum debeat fieri, ſupra relatum eſt.

Aliorum quidem Scriptorum loca adduci etiam poſſent, quibus laudatus ritus luculentius comprobaretur. Sed cum auctores hi vel ſynchroni ſint, vel poſteriores iis, quos citavimus, hos praetermiſiſſe praeſtabit. Ceterum haec caerimonia, quam hactenus expoſuimus, Iconomachi Claudii Taurinenſis Epiſcopi iniuriis, & cavillationibus, quae cum impietate coniungebantur, ſaeculo IX. carere non potuit. Ipſi tamen ſtrenue adverſatus eſt Ionas Aurelianenſis, tribus editis libris, quibus titulum fecit *de cultu imaginum* (*a*), quoſque Carolo

(*a*) Ionas Aurelianenſis Antiſtes fuit unus ex illis Francorum Epiſcopis, qui etſi contra Iconoclaſtas valide propugnarent ſacras imagines non eſſe delendas, ſed ſervandas in locis ſacris ad ornatum, & hiſtoricam inſtructionem fidelium, attamen exiſtimabant nullum illis religioſum honorem eſſe tribuendum. Quare de ſecunda Nicaena Synodo male ſentiebant, quaſi haec definiſſet imagines eo cultu, qui ſoli divinitati tribuitur, eſſe colendas. Pleroſque Galliarum Epiſcopos in his circa cultum imaginum erroribus eſſe verſatos, qui geſta in Concil. Francfordienſi an. ıɔccxcɪv. probe tenuerit, facile agnoſcet. Concilium iſtud, cui Adrianus I. R. P. praefuit per Legatos, cultum ſacrarum imaginum, non quemlibet, ſed eum, qui latriae dicitur, damnavit; credidítque ex infida verſione Actorum Concilii Nicaeni II., cuius oecumenicitas nondum in Galliis conſtabat, Graecos imaginibus adorationem perinde ac Sanctiſs. Trinitati impendere voluiſſe. Porro in hac ipſa Galliarum Praeſulum errantium claſſe fuiſſe Walafridum Strabonem Abbatem Divitis, ſeu Maioris Augiae ad Rhenum, ex eius libro *de rebus Eccleſiaſticis* cap. vɪɪɪ. p. 185. Tom. xv. *Bibl. Patr.* liquet, tum & alios multos, quorum nomina expreſſa exſtant in Synodo, ſeu Collatione Pariſienſi hac de re poſtmodum habita an. ıɔcccxxv. ſub Ludovico Pio. Ceterum licet memorati Praeſules haec tunc de ſacris imaginibus opinarentur, imagini tamen Crucis Chriſti venerationem eſſe impertiendam aperte fatebantur. Id patet ex Apologetico Ionae Aurelianenſis, qui erroris circa alias imagines erat anteſignanus, quique a Pariſienſi Collatione ea de cauſſa miſſus Legatus a Ludovico Pio ad Eugenium II. R. P. Quare Anaſtaſius Bibliothecarius in ſeptimae Synodi, ſeu Nicaenae II. praefatione ad Iohannem VIII. R. P. ap. Labb. Tom. vɪɪɪ. *Concilior.* p. 675. aiebat Gallis Praeſulibus ſacrarum imaginum utilitatem nondum eſſe revelatam, licet de Crucis veneratione recte ſentirent. *Quae enim*, ait, *ſuper vene-*

Carolo Calvo Francorum Regi inſcripſit. In his ergo totus eſt Ionas, ut explicet, & propugnet cultum imaginis Dominicae Crucis, & ſacrum ritum venerationis eiuſdem in feria VI. maioris hebdomadae (*a*): *Quo ergo* (inquit ille) *ob recordationem redemptionis ſuae ſancta Eccleſia ex ſanctorum Patrum traditione Crucem Chriſti veneretur, adoret, colat, non cultu, & adoratione, quae ſolius divinitatis eſt, ſed eo potius, unde ſatis abundeque ſupra dictum eſt, nemo niſi qui ab eccleſiaſtica traditione diſſentit, ignorat. Unde ob recordationem ſalutiferae paſſionis Dominicae annuatim in ſanctiſſimo die Paraſceves ſecundum traditionem eccleſiaſticam Crucem Chriſti adorat, ideſt ſupplicando ſalutat, quae etiam totum diffuſa per orbem in Chriſti laudem prorumpens gratulabunda canit*: „ Crucem tuam adoramus, Domine, & ſanctam reſurrectionem tuam laudamus, & glorificamus „. *Et iterum*: „ Ecce lignum Crucis, in quo ſalus mundi pependit, venite adoremus „. *Et B. Gregorius, de cuius dictis nemo niſi immemor ſalutis ſuae ambigit, in libro Sacramentorum ita meminit*: „ Deus, qui unigeniti tui D. N. I. C. precioſo ſanguine humanum genus redimere dignatus

q

venerabilium imaginum adoratione praeſens ſynodus docet, haec, & apoſtolica ſedes veſtra, ſicut nonnulla conſcripta innuunt, antiquitus tenuit, & univerſalis eccleſia ſemper venerata eſt, & hactenus veneratur: quibuſdam dumtaxat Gallorum exceptis, quibus utique nondum eſt harum utilitas revelata. Aiunt namque, quod non ſit quodlibet opus manuum hominum adorandum; quaſi non ſit codex evangeliorum opus manuum hominum, quem quotidie oſculantes adorant, venerabilior cane, quem non eſſe opus manuum hominum procul dubio non negabunt. Similiter & forma ſanctae crucis, quam ſe adorare omnes ubique Chriſtiani fatentur: in quo videlicet conſiderare libet, quia ſi quamlibet crucem auream, vel argenteam, aut ligneam adoramus, quae utique non eadem eſt ipſa Crux, in qua ſalus noſtra patrata eſt, ſed figura, & imago eius, quare non adoremus figuram, & imaginem eius, qui eamdem ſalutem operatus eſt in medio terrae? Venerabilior namque eſt, qui ſalutem operatus eſt, quam ea materia, in qua idem ſalutem operatus eſt. Ac per hoc magis adoratione digna imago Chriſti ſalutem operantis, quam imago crucis ſalutem tantummodo baiulantis. Quamobrem, beatiſſime Papa, ſuper montem excelſum aſcende, ſta in fortitudine, quaſi tuba vocem exalta. Sed de his quaeſtionibus vide, ſi lubet, Ven. Cardinalem Baronium ad ann. IↃCCXCIV., & IↃCCCXXV., tum & adnotationes Antonii Pagii ad eoſdem annos.

(*a*) Lib I. pag. 69. & ſeq. Antuerpiae 1565.

„ tus es, concede propitius, ut qui ad adorandam vivificam Crucem adveniunt, a peccatorum ſuorum nexibus „ liberentur „. Claudii impietatem magnam quis dixerit; ſed maiorem fateatur neceſſe eſt ſacrilegum auſum Petri Bruſii Galli, Petrobruſianorum anteſignani, qui ſaeculo XII. Iconoclaſtarum furorem inſtaurans, rogum ex Crucibus, quas magno numero infregerat, in oppido ſancti Aegidii provinciae Occitaniae ipſo Paraſceves die exſtruxit, impiique huiuſce ignis miniſterio carnem excoquendam mandavit, qua dein coram omnibus ſe ingurgitare non dubitavit. Hinc nil mirum, ſi loci indigenae horrore perciti ipſum in flammas coniecerint, ut tantum temeratae religionis ſcelus ulciſcerentur (*a*).

Ex iis ergo, quae hactenus diſſeruimus, arguere licet, firmo ſatis fundamento niti coniecturam, quam fecimus, morem, & ritum oſtendendi, & venerandi ſalutiferam Crucem die Paraſceves, ex Hieroſolymitana Eccleſia in Occidentalem eſſe profectum. Hunc ſane ritum obire ipſo vivifico ligno, ſi adeſſet, religio fuit, ut nimirum factum novimus in Baſilica Vaticana, quae verum Crucis lignum in Iuſtini monumento reconditum publicae ſalutationi proponere pergit. Ubi autem verum Crucis lignum deſiderabatur, eius vice aliud lignum uſurpari conſuevit, quod Crucis formam referret, vel ipſa Chriſti crucifixi imago invecta eſt, quae dein ſalutationis obiectum ubique fere evaſit (*b*). In longum nimis abiret oratio, ſi nobis referre eſſet animus ritus omnes variis temporibus adhibitos in denudatione Crucis (*c*), eiuſque adoratione feria VI. in Paraſceve, qua humani generis pacificatoris interitus recolitur.

(*a*) Vid. epiſt. Petri Mauricii Abbatis Cluniac. adverſ. Petrobruſianos in *Biblioth. Cluniacenſi* p. 1119. & 1160. Luteciae Pariſiorum 1614.

(*b*) In officio adorationis Crucis in feria VI. in Paraſceve apud Martenium lib. IV. cap 23. *de antiq. Eccleſ. ritib.* Tom. III. *Crucifixus* memoratur in ritu Eccleſiae Viennenſis in Gallia p. 391., tum & in altero Eccleſiae Argentinae ex ordinario eiuſdem anno CIↃCCCLXIV. concinnato p. 394., ac denique in ritu Eccleſiae Toletanae ex Miſſali Mozarabum pag. 399.

(*c*) Univerſim fere hodie ritus obtinuit operiendi in templis Cruces, vel Chriſti crucifixi imagines,

tur. Sed innuatur ſaltem ea, quae uſque adhuc in Eccleſiis, quae Romanum ritum ſequuntur peragitur. Quare Chriſti

nes, ceteraſque ſacras icones ad veſperam ſabbathi ante Dominicam diem, quae *Paſſionis* dicitur, & detegendi Chriſti crucifixi imagines feria ſexta in Paraſceve, tum ceteras icones ſabbatho ſancto. Verum hic ritus varius fuit antiquitus, nec in eo erat, quemadmodum nunc, ut obnuberentur, ſed ut ſubducerentur imagines, obtegerenturque dumtaxat, quae adſportari non poterant. Veteres ſiquidem liturgiae praecipiunt, ut Quadrageſimali tempore ab altari *cuncta auferantur ornamenta*, *cruces*, *imagines &c.*, *quae vero auferri nequeunt*, *velentur*. Martenius Tom. III. *de antiq. Eccl. ritib.* pag. 186., & 200. ea refert monumenta, quae doceant, Cruces, & imagines ut plurimum velo tegi conſueviſſe ipſo Quadrageſimae initio: quod quidem etiam nunc peragitur in aliquibus venerandae antiquitatis tenacioribus Eccleſiis; quemadmodum alia ſunt monumenta, quae prodant, Crucem die Dominica in ramis Palmarum detectam, & in ſacro proceſſu circumlatam publicae patuiſſe venerationi, ut dein rurſus ipſa Paraſceves die retegeretur, dum ſolemnis peragebatur adorationis Crucis caerimonia. Alius vero apud alias Eccleſias ritus invaluerat revelandi tempore Quadrageſimali Chriſti crucifixi imaginem, dum ſacrificium ſuper altare perſolveretur. His adde Canonicos quoſdam regulares, etiam in adventu Dñi imagines obtegere conſueviſſe. Ceterum quoad ritus vetuſtatem deferendae Crucis obtectae in Paraſceves die, & eiuſdem detegendae ad celebre illud praeconium *Ecce lignum Crucis &c.*, non ita facilis definitio eſt, quandoquidem varius in pluribus Eccleſiis ritus huiuſcemodi deprehendatur. Antiquius ſane, quod Martenius cit. Tom. pag. 374. referat monumentum, eſt Trecenſis Eccleſiae Pontificale, confectum ſub Prudentio Epiſcopo, qui, ipſo teſte, hanc ſedem obtinuit ante annos DCCCL. Quare in hoc Pontificali, antequam Crux reveletur, praemittuntur Antiphona *Popule meus*, & Triſhagius graece, & latine, ac deinde notatur Crucis detectio: *nudatur Crux ſindone*, *quo tegebatur*, atque hoc non tribus ſane temporis intervallis, ut hodie fit, repetito ſemper praeconio *Ecce lignum*, & altius elevata, & exaltata Cruce, ſed unica vice peragitur, & poſtea praeconium ipſum praeſcribitur, ſicuti & unica vice, & comitantibus his ipſis nunc expoſitis ritibus eadem ſacra caerimonia praeſcribitur in Pontificalibus multa antiquitate praeditis Eccleſiarum Pictavienſis, Biſuntinae, & Andegavenſis, quae ab eodem Martenio pagg. 375. 379., & 383. referuntur. In pervetuſto ritu Eccleſiae Mediolanenſis Crux haud velata affertur in Paraſceves caerimonia, & licet in Miſſali eiuſdem Eccleſiae edito ann. CIƆIƆLX. nullus ritus oſtenſionis praeſcribatur, ſed ſimplex Archiepiſcopi, & Cleri adoratio ſine praeconio *Ecce lignum*, tum ſine Antiphona

crucifixi imago velo conteɛta ter oſtenditur, & ab Antiſtite, ſive Cleri Principe ab imo gradu in terrae planitie per alios duos

Popule meus, & Triſhagio, ſed cum ſolo cantu Pſalmi *Beati immaculati*, & Antiphonae *Crucem tuam adoramus &c.*, tamen in poſteriori Miſſali anni cIↃIↃCLXIX. notatur triplex elevatio, & adoratio Crucis poſitae ſuper pulvinari a duobus Subdiaconis ſuſtentato cum triplici cantu praeconii *Ecce lignum*. Quoad Romanam vero Eccleſiam illud certum eſt, neque in Gelaſiano Sacramentario, neque in Antiphonario Gregoriano, neque in primo Ordine Romano (quorum teſtimonia in Commentario exhibuimus) nullam haberi mentionem ritus detectionis Crucis. Deeſt ſiquidem in Gelaſiano Sacramentario vel ipſum praeconium *Ecce lignum &c.*, cum tamen ritum praeferat ab aliis diverſum, diſtinctae nimirum adorationis Crucis, quae praeſcribitur Sacerdori, qui ſacrum peragit, poſtquam ad altare corpus Chriſti delatum fuerit, tum ceteris, poſtquam Sacerdos (recitatis precibus in eodem Sacramentario deſignatis) ſacram hoſtiam comederit, ſed antequam ad communionem acceſſerint, quandoquidem ea aetate, ut alibi oſtenſum eſt, ſinguli in Paraſceve communicabant. In Antiphonario Gregoriano praecipitur poſt corporis Chriſti ad altare delationem recitatio praeconii *Ecce lignum &c.*, dum nimirum Crucis adoratio inchoatur; terque inſtauratur, dum eadem adoratio peragitur, quemadmodum etiam praeſcribuntur recitandae aliae preces, & Antiphona *Popule meus &c.*, & Triſhagius graece, & latine, quod etiamnum apud nos ſervatur. Inſuper in Ordine I. Romano idem praeconium recitandum indicitur, dum ipſa adoratio perficitur. Aſt ibidem illa ſunt animadvertenda verba, nimirum: *poſt orationes praeparatur Crux ante altare*; quandoquidem ex eo manifeſtum eſt, iam veteri more receptum fuiſſe, ut Crux temporarie, non vero ſtabiliter, ut hodie fit, ſuper altare ſervaretur, ſed pro opportunitate collocaretur. Hunc morem etiam ex Sacramentario Gelaſiano arguere licet, in quo haec habentur: *ponitur ſancta Crux ſuper altare*; qui ſane mos eo magis invaluit, ingruente in ſacras imagines pugna, a qua profectum etiam veroſimile eſt ſacrorum diptychorum uſum, quibus Chriſti crucifixi imago, & ipſius vitae, mortis, & gloriae hiſtoria inſculpta erat, quique, dum ſacrorum myſteriorum celebratio abſolvebatur, in altare exponebantur, atque inde abducebantur. Si nonnullorum ſcriptorum ſententiae lubeat inſiſtere, illud etiam affirmari poſſe videtur, Carthuſianorum, & Praedicatorum ritum recitandi *Kyrie eleiſon &c.*, dum ſacrum faciunt, in altaris angulo, non autem in medio, ex eo manaſſe, quod olim Chriſti crucifixi imago initio ab altare abfuerit, quae nonniſi inchoato canone exponi conſueverat, quaeque totius canonis tempore, vel uſque ad conſumma-

duos altaris gradus aſcendente , ad ſingulas oſtenſiones , & adorationes elevatur , & exaltatur , quae mox ab omnibus utro-

matam panis & vini conſecrationem retinebatur ; hocque non aliam ob cauſſam factum patet , niſi ut vividius fidelium mentem percelleret memoria paſſionis Chriſti : quod etiam in ipſo ſacrificio iis verbis innuitur : *Hoc quotieſcumque feceritis* , *in mei memoriam facietis* . Verum Eccleſiarum cuſtodes , ut ſe ab onere deferendi , & auferendi pro quolibet ſacro vel diptychos , vel Chriſti crucifixi imagines expedirent , ſenſim earum adſportationem negligentes in altare perpetuo manentes reliquerunt vel ipſo Quadrageſimali tempore, quo vel ſubduci , vel velari conſueverant, ut ſupra monuimus . Quo vero tempore apud Romanam Eccleſiam invaluerit ritus Crucium velo obtegendarum , nullum certum monumentum ſaeculo xii. antiquius offendimus, atque hoc ſane occurrit in Ordine Romano xi., qui hoc tempore prodiit , quique auctorem habet Benedictum Canonicum Baſilicae Vaticanae , & inſcribitur *Liber pollicitus*, ut eſt in Mabilloniana editione Tom.II. *Muſ. Ital.*, ſed qui vere *polyptychus* , multarum nempe paginarum liber , dici debet, ut appellatur in Ordine Romano xiv. Iacobi Caietani , & in Ordine xv. Petri Amelii; quod ſane minime a Mabillonio , neque a ceteris , qui ipſum dein ſub corrupto illo titulo *libri polliciti* indicarunt , obſervatum eſt, licet haud tamen effugerit diligentiam , & ingenium doctiſſimi Praeſulis Ioſephi Garampii in illuſtratione ,quam edidit an.cIↃIↃCCLVIII., ſigilli Carfagnanae pag. 80. Primum ſiquidem huius caerimoniae veſtigium in eo , quem dixi , Ordine xi., ſive libro *polypthycho* , deprehenditur , cum nimirum pag. 137., ubi deſcribitur proceſſus, qui a Baſilica Salvatoris progrediebatur ad alteram S.Crucis , quae eſt *in Suxurio* , ut habet Kalendarium Frontonis pag.63., nempe in Seſſoriano palatio , licet frequentius *Hieruſalem* , vel *Helleniana* Baſilica nuncupetur, & in qua feria vi. maioris hebdomadae ſtatio erat, id etiam innuatur, Subdiaconum regionarium detuliſſe Crucem velo coopertam : *In Paraſceve* (ibidem dicitur) *Epiſcopus hebdomadarius facit officium in baſilica Salvatoris . Dominus Papa deſcendens de palatio, ibi poſt altare cum aliis ordinibus ſe induit, & diſcalceatus pergit cum proceſſione , & omnes cum eo , cantando pſalterium , uſque ad ſanctam Crucem . Quidam Cardinalis honorifice portat corpus Domini praeteriti diei , conſervatum in capſula corporalium : Subdiaconus regionarius ferens ad pectus Crucem ſtationalem coopertam* . Uberius etiam hic ritus exponitur in Ordine xiv., concinnato a Iacobo Caietano Bonifacii VIII. fratris filio , & dein Cardinali a patruo ipſo renunciato ; ſiquidem pag.368. non ſolum velata Crux deſignatur , verum etiam ſingillatim ritus deſcribitur detegendae Crucis in Baſilica Seſſoriana tribus temporis intervallis , triplicique praeconii *Ecce lignum &c.* recitatione, ea ipſa ratio-

utroque genu flexo adoratur tum ab eccleſiaſticis, tum a ſaecularibus, atque etiam humillima devotione ipſi oſculantur, poſtquam ad ternas oſtenſiones cantatum eſt praeconium: *Ecce LIGNUM CRUCIS*, *in quo SALUS MUNDI pependit*, reſpondente, & invitante Choro his verbis: *Venite adoremus*. Quod ſane praeconium, cum ſumma vetuſtate praeſtet, etſi alia monumenta deeſſent, ſatis eſſet ad demonſtrandum nudam Crucem ſine Chriſti crucifixi imagine priſcis temporibus adhibitam fuiſſe, tum & ipſum ſalvificum lignum, ubi adeſſet, fidelium venerationi ſolemniter expoſitum. Quare finem huic noſtro Commentario, Deo adiuvante, imponens, iterum in genua provolutus (*a*)

Nunc ad te veneranda Dei crux verto loquelas,
Gratanteſque tua concludam laude profatus.
O crux magna Dei pietas, crux gloria caeli,
Crux aeterna ſalus hominum, crux terror iniquis,
Et virtus iuſtis, lumenque fidelibus: o crux,
Quae terris in carne Deum ſervire saluti,
Inque Deo caelis hominem regnare dediſti!
Per te lux patuit veri, nox impia fugit.
Tu deſtruxiſti credentibus eruta fana


Gen-

ratione, quae nunc etiam ſervatur. Ceterum in hoc Ordine pag. 369. mentio habetur pecuniae oblatae in Crucis adoratione, quae ad Sacriſtam addicitur, cum antea huiuſmodi oblatio ad *Scholam Crucis* ſpectaret, quemadmodum notatur in Ordine XII. auctore Cencio de Sabellis pag. 182: *Sciendum tamen, quod ſecundum antiquam conſuetudinem, quidquid ſuper Crucem offertur, Scholae Crucis debet eſſe*. De *Schola Crucis* legenda eſt Appendix I. ad lucubrationem *de Presbyterio* cl. Petri Morettii pag. 305. & ſeqq. Sed alibi quoque huiuſmodi oblationes ad Crucem erant in more, & praeſertim in Eccleſia Pariſienſi. *Donavit* (ita legitur in charta Epiſcopi Pariſienſis an. CIↃCCVIII. apud Du-Cangium V. *Oblationes Crucis*) *inſuper Clericis matutinalibus partem illam, quam percipiebat in oblationibus Crucis, quae proveniunt ſexta feria in Paſſione Domini*.

(*a*) S. Paullinus *in Poem. XXIX. de S. Felice Natal. Carm. XVIII.* p. 661. Veronae 1736. His carminibus utitur Dungalus Diaconus, qui floruit ſub Ludovico Pio, eiuſque filio Lothario Impp., in libro Reſponſionum, quem ſcripſit pro cultu imaginum adverſus inſanas Claudii Taurinenſis naenias. Vide Tom. XIV. *Bibl. Patr.* pag. 210.

Gentibus, humanae concors tu fibula pacis,
Concilians hominem medii per foedera Chriſti.
Facta hominis gradus es, quo poſſit in aethera ferri.
Eſto columna piis tu ſemper & anchora nobis.

EXPLICIT COMMENTARIUS



In Muſeo Borgiano. Vid. pag. 9. huius Commentarii.

PRAE-

PRAEFATIO

IN APPENDICEM

ORdo adorationis Dominicae Crucis erutus ex ſacris libris Eccleſiae Antiochenae Syrorum, quem nos modo adducimus, nondum a quopiam publici iuris factus fuerat ſive ſyriace, ſive latine. Nos rem gratam ſacrorum ſtudiorum cultoribus, & argumento noſtro apprime convenientem facturos putavimus, ſi illum & propria Syrorum lingua, & ex ea in Latinam linguam converſum, heic nunc Lectoribus noſtris exhiberemus. Latinam vero verſionem libenter profitemur acceptam viro cl. Ioſepho Aloyſio Aſſemanio linguarum Syriacae, & Arabicae Profeſſori tum in Archigymnaſio Romanae Sapientiae, tum in Collegio Urbano de Propaganda Fide, quem celebrem in litteraria republica tot opera ab eo edita effecerunt, ac praeſertim *Codex Liturgicus* Eccleſiae Univerſae, qui eum de ſingulis variarum Eccleſiarum ritibus optime meritum conſtituit.

Codex vero, ex quo hic Ordo exſcriptus eſt, exſtat in Bibliotheca laudati Collegii Urbani ſub numero XVII. d. 12., cui eſt hic titulus: *Liber Sacerdotalis omnium Rituum Eccleſiaſticorum ſecundum conſuetudinem Eccleſiae Syriacae Maronitarum, qui ex antiquiſſimis exemplaribus collecti ſunt*. Codex in XXVIII. titulos diviſus eſt, atque X. continet ordinem, quem nos modo edimus. Elaboratus eſt codex hic anno CIϽIϽCLXXXVII. ab Athanaſio Safar (*a*) natione Syro, profeſſione Catholico, & Epiſcopo Mardinenſi, & Niſibenſi in Meſopotamia Aſiae, ut gentis ſuae commodo inſerviret, & ipſis Maronitis proſpiceret (*b*). Eidem ſuccenturiatus acceſſit in horum rituum perquiſitio-

(*a*) Eo curante editum eſt typis Propagandae Fidei *Breviarium feriale Syriacum Sanctorum Ephraem, & Iacob Syrorum iuxta ritum eiuſdem nationis, quod incipit a feria ſecunda uſque ad ſabbathum incluſive; additis variis hymnis, & benedictionibus*; ann. 1696. in 4.

(*b*) *Evoplia Fidei Catholicae Romanae* Fauſti Naironii Romae edita typis

ſitione, qui ex antiquiſſimis Syrorum mſs. excerpti ſunt, Ioſephus Baneſius linguarum Syriacae, & Arabicae in Collegio Urbano profeſſor (*a*).

Hic idem Ordo habetur etiam in duobus aliis codicibus, qui proſtant in Bibliotheca Collegii Maronitarum in Urbe, ex quibus noſter a laudato Aſſemanio ſedulo conlatus eſt. Alter quidem ex his codicibus nitidiſſime exaratus omni temporis nota caret, alter vero inſcribitur *Rituale Syriacum*, atque hic Romam miſſus eſt anno CIƆIƆCXCIV. a Stephano Aldoenſi Syrorum Maronitarum Patriarcha, cuius ſtudium multum in eo fuit, ut ex vetuſtiſſimis, qui per Orientis plagas diſperſi ſunt, codicibus Syrorum ſacra conferret, & exſcriberet. In utroque codice, quem memoravimus, peculiaris eſt poſtrema rubrica, quae in codice noſtro Collegii Urbani deſideratur, quaeque ita ſe habet: *& abſcondunt Crucem, atque conſignant calicem*. Locus vero, ubi abſcondenda ſit Crux, non deſignatur, qui tamen in altera rubrica ad ſolemnem proceſſum Crucis, qui apud Syros die Paſchatis reſurrectionis peragitur, quique typis editus eſt Syriaco idiomate (*b*), penes eadem ritualia deſcribitur, atque rubrica huiuſmodi eſt: *Crux aſſervata exſiſtat in ſacrario, aut in feneſtra, quae eſt retro altare a feria ſexta paſſionis, & mane Dominicae reſurrectionis cooperiant illam* (Crucem) *velo albo, poſt orationem autem diluculi* (*c*).

r Cete-

typis Propagandae Fidei an. 1694. pag. 332. & ſeqq. exhibet ritum adorationis Crucis penes Syros Maronitas, tum & Triſhagium cum additamento *qui crucifixus es pro nobis*, quod haud adprobatum conſtat ab Eccleſia Romana, toleratur tamen, cum apud Maronitas numquam Theopaſchitarum error invaluerit.

(*a*) Eius cura editas habemus in typographio S. C. de Prop. Fide *Sanctae Birgittae preces* in Arabicum idioma converſas ann. 1677. in 12.

(*b*) Excuſa eſt praelo S. C. de Prop. Fide *Proceſſio ſanctiſſimae Crucis iuxta ritum Maronitarum* ann. 1640. in 8.

(*c*) *Oratio diluculi* apud Syros eadem eſt ac apud Latinos *Matutinum*, & *Prima*. Auctor eſt Nicephorus Calliſtus lib. XVIII. *Hiſt. Eccl.* cap. 53. pag. 1166. Armenos Crucem die Paraſceves ſub terra abſcondiſſe uſque ad magnum Dominicum diem: *Tum vero*, inquit, *cum lumine per plateas, & angulos circumeuntes, hinc & inde eam quaerunt*,

Ceterum apud Syros *conſignatio calicis* caerimoniam *praeſanctificatorum*, quam vulgo *Miſſam praeſanctificatorum* dicimus (*a*), deſignat, quae ſane in Syrorum, aliorumque Orientalium

runt, *& inventam proferunt*. Sed haec caerimonia non exſtat in libro *Donaziuz*, ſeu Ordinario Armenorum, in quo tamen notatur adoratio Crucis, & Evangelii in die Paſchatis eo ferme ritu, quo haec Crucis, & Evangelii adoratio apud ipſos triplici vice peragitur in feria VI., & ſemel in ſabbatho ſancto. Accedunt autem ad hanc adorationem in Paſchate bini bini & ad oſculum Crucis, & Evangeli compellantur viciſſim: *Chriſtus ſurrexit a mortuis*, cui alter reſpondet, *vobis & nobis magna annunciatio*. Deinde Sacerdotes canunt hymnum *Crucem tuam, Chriſte, adoramus*, *& ſanctam reſurrectionem tuam glorificamus* (in feria VI., & ſabbatho ſancto omittunt *& ſanctam reſurrectionem &c.*, & dicunt *& paſſionem tuam magnificamus*) *venite*, *credentes adoramus Chriſtum Deum noſtrum*, *quoniam veniens per Crucem ſuam conceſſit dona mundo*. *Gloria ſanctae Cruci*, *alleluia &c.* In ritu Armeno, aeque ac in aliis ritibus Orientalibus, Syro nempe, Graeco, & Alexandrino canticum *Alleluia* in officiis Quadrageſimalibus adhibetur, quod non ſicut apud nos laetitiae, ſed potius maeroris, compunctionis, devotioniſque apud eos eſt argumentum. Huius verbi *tantus honor eſt* (inquit Caſſiodorus *Hiſt. Eccl. tripar.* lib. X. cap. 39.) *ut cum ſit Hebraea lingua reconditum*, *nullo tamen conſtat alio ſermone tranſlatum*. *Hoc Graecus*, *hoc Latinus*, *hoc Chaldaeus*, *hoc Syrus*, *hoc Perſa*, *hoc Arabs*, *hoc tenet natio cuncta terrarum*: *& quicquid eſt debitum divinitati*, *divinitatem huius nominis*, *pia devotione veneratur*. Quam vane autem ob hanc vocem officia ſua iactet Michael Cerularius in epiſtola ad Iohannem Epiſcopum Tranenſem, legendus Baronius an. 1053. n. 29. Nulla vox frequentior in Graecorum exequiis quam *Alleluia*: qua Latinos etiam in funeribus aliquando uſos edocemur a S. Hieronymo in epiſt. ad Oceanum de morte Fabiolae: *Tum fama volans tanti praenuncia luctus*, *totius urbis populum ad exequias congregabat*. *Sonabant Pſalmi*, *& aurata tecta templorum in ſublimi quatiebat Alleluia*. Eſt etiam apud Hugonem Menardum in notis ad Gregorii Sacramentarium officium, cuius haec ſunt primordia, *In primis cantatur Pſalmus* „ In exitu Iſrael de Aegypto „ *cum Antiphona*, *vel Alleluia*. In ſacris item defunctorum liturgiis invenio ab Hiſpanis dictum *Alleluia* in Miſſali Gothico, ſive Mozarabico ſecundum regulam S. Iſidori. Sed de cantico *Alleluia* vide, quae erudite ſcripſit Leonardus Cecconius Epiſcopus Montis Alti in opuſculo, cui titulum fecit: *Diſſertazione ſopra l' origine*, *ſignificati*, *uſo &c. dell' Alleluia*. Velletri 1769.

(*a*) Miſſa tunc proprie dicitur, cum oblationes, & conſecrationes fiunt. Id clare nos docet Caeſarius Arelatenſis hom. XII. inquiens: *Si di-*

talium ritibus tempore Quadrageſimali frequens admodum eſt, dum penes Latinos ſola feria VI. maioris hebdomadae iam obtinuit, & adhuc etiam perſeverat, cum nempe Sacerdos poſt Crucis ſalutationem corpus Chriſti confectum praecedenti feria in coena Domini, quae & *natalis calicis* (*a*) dicta eſt, divinis laudibus decantatis abſumit. Verumtamen caerimonia haec iam in deſuetudinem abiit penes ipſos Syros, ſi Syros Maronitas excipias, qui Latinorum more ſola feria VI. maioris hebdomadae eamdem abſolvunt, quandoquidem Gregorio XIII. Pontifice Marcnitarum gens paullatim Eccleſiae Romanae ritus quoad plurima amplexa eſt. Quare hinc fit, ut in ſacris eorumdem libris, Ritualibus nempe, ac Miſſalibus, quae a Syris Monophyſitis, vel Iacobitis adhibentur, nullum occurrat *conſignationis calicis*, quam nunc exponimus, veſtigium. Nihilominus huius ritus memoria in eorum Synodalibus libris ſervatur, ac praeſertim in Nomocanone Eccleſiae Antiochenae Syrorum, quem collegit celebris Gregorius Bar-Hebraeus (*b*), quique ad cognoſcendos penitus Syrorum

 Mono-

Si diligenter attenderitis, cognoſcetis, quia non tunc fiunt Miſſae, quando divinae lectiones in Eccleſia recitantur, ſed quando munera offeruntur, & corpus, & ſanguis Domini conſecratur. Vid. Tom.VIII. *Bibl. Patr.* pag 832.

(*a*) *Vocatur enim haec dies* (inquit homil. X. S.Eligius Noviomenſis Epiſcopus) *coena Domini, vocatur & natalis calicis; & merito talibus praefulget vocabulis, quia hac eademque die myſticum Paſcha Dominus cum diſcipulis celebrans, ſacramenta corporis, & ſanguinis ſui, illis, atque per illos nobis tradidit, & ipſe celebrationis initium fecit.* Vid. Tom. XII. *Bibl. Patrum* pag. 313. Ceterum haec dies apud rituum Eccleſiaſticorum expoſitores aliquando *dies mandati* audit, quod illa Salvator noſter diſcipulorum pedes lavit, eiſque mandavit, ut exemplum ſuum imitarentur, aut etiam quod illa Euchariſtiam inſtituit, ſimulque mandavit, ut id perpetuo in Eccleſia ad ſuimetipſius recolendam memoriam fieret.

(*b*) Gregorius Bar-Hebri, ſive Bar-Hebraeus, qui & Abulfaragius, ab Aſſemanio Tom. II. *Bibl. Orient.* pag. 244. appellatur *ſcriptorum Iacobitarum facile princeps.* Natus eſt Melitinae, quam Arabes Malatiam vocant, anno Seleucidarum, ſeu Alexandri (Graecorum dicunt) CIↃIↃXXXVII., qui reſpondet an. I.C. CIↃCCXXV. parentibus Chriſtianis. Obiit an. Chr. CIↃCCLXXXVI. *mophrianus* Orientis, quae eſt dignitas apud Iacobitas Patriarchali inferior, Metropolitica maior. Primatem rect

Monophyſitarum, vel Iacobitarum ritus plurimae eſt utilitatis, & praeſidii. In hoc igitur Nomocanone, quem Latina lingua redditum opera viri cl. Ioſephi Aloyſii Aſſemanii adſervat Bibliotheca Collegii Urbani de Propaganda Fide, cap. IV., quod eſt *de oblatione*, quodque in plures ſectiones diſpeſcitur, collectum ex Iacobi Edeſſeni, Iohannis Telenſis, & Severi operibus legitur, quidquid ad hunc *conſignationis calicis* ritum inluſtrandum conducit, quorum inſuper auctoritatibus Gregorius Bar-Hebraeus nonnullas ſuas addit obſervationes, quibus titulum fecit: *Directio*. Totum nunc textum, quia numquam antea editus, heic nos referre operae pretium exiſtimavimus; ſiquidem quae de eo dumtaxat leviter attigerat Praeſul doctiſſimus Ioſephus Simonius Aſſemanius (*a*), ea ſint, quae ipſius integre agnoſcendi ingerant cupiditatem. En ipſum accipe:

SECTIO VIII.

De conſignatione calicis.

IACOB EDESSAE(*b*).

In margine „ Uti eſt in exemplari, quod eſt ſcriptum „ manu illius, qui inter ſanctos ſic eſt. Sectio octava Iacob „ Edeſſae ſcripſi, & ſunt in ea lineae aliae, commemoratio conſignationis calicis, ſuper quas percuſſerunt domus „ Chiron. „

Sacerdos incluſus ſi ſolus fuerit, & ſi incluſi alii fuerint eidem vicini, ſi velit conſignare ſibi, aut aliis, quando populus fidelis

recte vertas. Orienti praeſidet, hoc eſt, Chaldaeae, & Aſſyriae, necnon extremae Meſopotamiae partibus, ſub Antiocheni Iacobitarum Patriarchae poteſtate. Vid. Renaudotium Tom. II. *Liturgiar. Oriental. collect.* pag. 469.

(*a*) Tom. III. part. I. *Bibl. Orient.* pag. 246.

(*b*) Iacobus Epiſcopus Edeſſae obiit anno Graecorum CIↃXIX. Aſſemanius Tom. I. *Biblioth. Orient.* pag. 470. ex Edenenſi, & Naironio orthodoxam eiuſdem fidem affirmavit, verum ſciens, & prudens retractavit hanc ſententiam Tom. II. *Bibl. cit.* pag. 337. Certe perpetua eiuſdem cum Iacobitis ad mortem uſque communio Monophyſitam demonſtrat.

fidelis non eſt praeſens, voluntati eius datum eſt; & ſine reprehenſione eſt in utroque. Et ſi velit dicere unam ex orationibus propoſitis, aut omnes, & ſi velit abſque orationibus ſub ſilentio ſignare pro opportunitate temporis, ipſius poteſtati datum eſt.

Non eſt licitum, ut remaneat calix in craſtinum, ne forte mutetur, & reus fiat, qui ipſum reliquit. Sententia enim mortis inflicta eſt a Deo ob hircum illum peccati, qui manſit, & non comederunt eum ad veſperas Sacerdotes, & relictus fuit uſque ad matutinum. Relinquitur autem calix, aut propter aliquos infirmos anguſtiatos (in mortis periculo conſtitutos), quos viatica ſumere oportet, antequam decedant: aut propter ieiunantes, qui ad profundam uſquè veſperam ieiunant. Praeter hos autem, calicem ſervari in craſtinum nefas eſt. Cum enim ſacrum corpus aderit, pronum eſt ei (Sacerdoti) calicem conſignare, & ſi voluerit homo, ter in una hebdomada, cum vocant cauſſae neceſſariae.

Diaconus òrare orationem aliquam, aut quippiam omninò dicere, ſive parvum, ſive magnum, non poteſt, quando Sacerdos conſignat calicem.

IOHANNES TELAE(*a*).

Margaritam, qua conſignatur calix, quot vicibus miniſter, qui miniſtrat calicem, ſumat eam:. & de hoc non comperimus ullum praeceptum.

DIRECTIO.

Ego iudico, ut illa ipſa margarita in calicem mittatur, & tempore communionis Sacerdos eam ſumat, & Diaconum ſuum de car-

(*a*) *Tela* abſolute, vel cum addito *Tela-Mauzalat*, ut ab aliis Syriae, ac Meſopotamiae Aſiae *Telis* dignoſcatur (idem enim Syrorum ſermone ſonat *Tela*, ac *mons*, ſeu *collis*) *Antipolis* olim dicta; ſed cum ann Graecorum IↃCLXII. Chriſti CCCL. a Conſtantio Imp. fuerit inſtaurata, *Conſtantinae* nomen accepit. Iohannes eiuſdem urbis Epiſcopus Monophyſita an. IↃXVIII. Iuſtini Imp. iuſſu in exilium pulſus, quod Synodum Chalcedonenſem recipere detrectaret. Eiuſdem tamquam *martyris* memoria occurrit in Kalendario Iacobitarum die VI. februarii. Vid. Aſſeman. *Bibl. Orient.* Tom. II. pag. 53. & ſeq.

carbone (*a*), *qui in phiala* (*patena*) *ipſe Sacerdos communicet: non enim conveniens eſt, ut cum Sacerdos praeſens eſt, Diaconus e proprio ſumat, & communicet; praeter calicem, quem ipſe bibit, neque Sacerdos bibendum ei tribuit.*

S E V E R U S (*b*).

Cum ordinat Sacerdos, & ponit ſuavitates, dicat populus:

„ Cre-

(*a*) Varia ſunt nomina panis Euchariſtici apud Syros: integrum quidem panem *Kourbono* vocant, *oblationem* nempe, ſeu *oblatam*, uti in veteribus Latinis Ritualib. dicitur, Graeci προσφορὰν; aliquando ſimpliciter *panem ſacramentorum*, ſive *myſteriorum*, *pariſto*, *katzto*, quae voces panem quoque ſignificant. Haec porro nomina pani conſecrando dantur, antequam ad altare conferatur, nam ubi primam benedictionem accepit, aliter appellatur. Syri Neſtoriani praeſertim vocant *primogenitum*, alii *agnum*, & *ſigillum*. Sed haec vox de integra oblata non eſt intelligenda. Ut enim Graeci, ita Syri, panem in multas partes dividunt, quarum una maior eſt, & media, maioremque, quam reliquae partes, Crucem impreſſam habet. Cum autem una tantum Crucis figura ſit in oblatis Graeci ritus, cum litteris IC XC N K ad quatuor Crucis angulos, nempe *Ieſus Chriſtus vincit*, in Coptico ſint duodecim, quibus XII. Apoſtoli praeſeferuntur, & praeterea altera in medio excellentior, quae Chriſtum repraeſentat, & ornata Graeca epigraphe in gyrum ✠ ΑΓΙΟΣ ✠ ΑΓΙΟΣ ✠ ΑΓΙΟΣ ✠ ΚΥΡΙΟΣ ✠ ΣΑΒΕΩΤ (Vid. formam huiuſce hoſtiae in libro *Hiſtoire de l' Egliſe d' Alexandrie ecrite au Caire meme en* 1672., & 1673. *par le P. I. M. Vansleb Dominicain. A Paris* 1677.), tum in Syriaco ſint multiplices; inde evenit, quod penes Syros partes minores retinent omnes Crucem, ſive ſigillum habent, quam ob cauſſam *ſigilla* quoque vocantur. Obſervandum tandem eſt, partibus illis, in quas Euchariſticus panis dividitur, alia in ſacrae actionis decurſu nomina tribui. Nam particula maior quando conſecrata eſt, ſaepe *margarita*, ſive *unio* appellatur, quod nomen etiam parti ex illa maiori deſumta tribuitur, qua calix conſignatur, ut unio duarum ſpecierum fiat. Partes reliquae nomen aliud non habent quam ſigillorum. Particulae vero, quae fractae minutatim in diſco collocantur prope eas, quae, quod Crucibus ſignentur, *ſigilla* ſingulariter appellantur, *carbones* in Syriacis Ritualibus myſtice dicuntur, licet aliquando haec vox maiorem, ex qua aliae conſignantur, partem oblatae ſignificet.

(*b*) Severus Acephalorum, ſeu Monophyſitarum dux catholicam duarum naturarum fidem per annos multos impugnavit. Patria eius fuit Sozopolis Piſidiae urbs, & ea ratione legitur in Officiis Syrorum

„ Credimus „ *deinde orat erectus*, *&* *dat pacem*, *ac ſignat populum tribus Crucibus*, *dicens* „ Et erunt miſerationes Dei „ *Tum accipit carbonem*, *eoque calicem conſignat tribus Crucibus*, *inquiens* „ Ut uniat, & ſanctificet, & convertat miſtum, quod „ in hoc calice eſt, in ſalutarem ipſius Chriſti Dei noſtri „ ſanginem in remiſſionem peccatorum &c. „ *Deinde orat orationem* τὸ „ Pater noſter, qui es in Caelis „ *&* *rurſus orationem*, *&* *dat pacem*. *Deinde oratio ſuper populum*, *deinde pax*, *&* *ſignat populum in* τὸ „ Sit gratia „ *tum Diaconus* „ Cum „ timore intueamur „ *Sacerdos* „ Quae praeſanctificatae ſunt „ ſanctificationes ſanctis „ *Et attollit myſteria*. *Populus* „ Unus „ pater „ *Deinde communionem accipit*, *&* *dat*, *&* *revertitur*, *orat*: *Gratiarum ſuſceptio*. *Oratio ſuper populum*, *demum obſignat*, *dicens* „ Benedic nobis omnibus. „

D I R E C T I O.

Scias, *quod in oblatione ſupra calicem facit Cruces*, *&* *hic dum frangit*, *ipſum ſanguinem per carbonem attrectat*, *Cruces faciens*.

Ex Nomocanonis, quod uſque adhuc adduximus, teſtimonio illud evincitur, etiam apud Syros Monophyſitas, vel Iacobitas illam obtinuiſſe ſententiam, quam paulliſper delibavimus in adnotationibus ad ſuperiorem noſtrum Commentarium, quaeque in eo erat, vinum nempe per corporis Chriſti

rorum Iacobitarum: *de Severo gloriatur Sozopolis*; laudaturque quod Leonem Romanum (is eſt Magnus Leo PP.) oves Chriſti devorare cupientem, & Chalcedonenſe Concilium celebratum an. CCCCLI. debellaverit. Is ann. IↃXII. ab Anaſtaſio Imp., Flaviano Patriar. Antiocheno ob fidei catholicae defenſionem ſede ſua pulſo, in eamdem intruſus primus Iacobitarum Patriarcha evaſit. Sexto intruſionis anno, relicta Antiochia, Alexandriam fugit, unde Theodorae Aug. patrocinio fretus CPolim venit, ubi ab eadem una cum Theodoſio Alexandrino, Anthimo CPolitano, & Zoara Stylita Syro alebatur. Demum ſententia Agapiti Papae CPoli eiectus, & in Aegyptum reverſus, Alexandriae interiit die XXVIII. februarii anni Graecor. IↃCCCLIIII. Chriſti IↃXLII. Vid. Caveium *Hiſt. litterar. Scriptor. Eccleſ.* pag. 323., Renaudotium *Liturgiar. Oriental. collect.* Tom. II. pag. 320., & Aſſemanium Tom. II. *Biblioth. Oriental.* pag. 321.

Chriſti ſub ſpecie panis contactum & ſanctificari, & conſecrari; quod ſane abſurditate magna laborat. In hoc ergo teſtimonio haud quidem deſignantur dies, qui penes ſupraſcriptos Syros ritui *conſignationis calicis* addicti eſſent; at vero eoſdem coniicere licet ex aliis Nomocanonis locis, quandoquidem ibidem (*a*), ut aliturgici deſignantur Quadrageſimalis ieiunii dies, exceptis ſabbathis, Dominicis diebus, & feria V. in coena Domini, in quibus ſacrificium conficiebatur, dum in ceteris aliturgicis ſola *conſignationis calicis* caerimonia peragebatur. An vero haec eadem caerimonia ſingulis hiſce diebus, vel in aliquibus tantum abſolveretur, non audeo definire; quemadmodum non facile dixerim, an *conſignatio calicis* ipſa feria VI. magnae hebdomadae perficeretur. Maior quoque obſcuritas veterem circumtegit diſciplinam quoad hunc ritum penes Syros Neſtorianos, utpote qui non erroribus ſolum, ſed pluribus etiam diſciplinae placitis a Syris Monophyſitis diſcedant. Non eſt huius loci loqui de Syris Melchitis, ſive Imperialibus, qui cum nimirum poſt ſaeculum X. CPlitanae Eccleſiae ritui adhaeſerint, Graeco ritu nunc utuntur (*b*), quem modo paullulum exponemus, quemadmodum

(*a*) Cap. V. ſect. I.

(*b*) De Melchitarum adhaeſione ad ritum CPolitanae Eccleſiae nonnulla attigimus in Diſſertatione *de extremae unctionis ſacramento apud Orientales*, quam cl. Trombellius inſeruit in eius opere *de Sacramentis*, nempe in Tom. III. *de extrema unctione*, edito Bonon. an. 1778. Damnatis per Chalced. Concilium Eutyche, & Dioſcoro, Alexandriae, & Antiochiae grave ſchiſma Catholicos inter & eos exſtitit, qui memoratum Concilium non recipiebant; & hac de cauſſa tum Alexandriae, tum Antiochiae electi fuere Patriarchae duo, ſchimaticus unus, catholicus alter. Catholici a ſchiſmaticis modo Chalcedonenſes, modo Melchitae, hoc eſt Regii, ſeu Imperiales dicti (*Melek* enim arabice regem ſignificat) quia ſcilicet ad Marciani Imp. edictum Concilio favens ſe conformabant. Viguit hoc Melchitarum nomen, diuque Catholicos deſignavit; tametſi poſt natum Graecorum ſchiſma eos ſignificet, qui CPolitano ſchiſmati adhaerent, ſi illos excipias, qui alteri Patriarchae Antiocheno cum Romana Eccleſia unito obediunt. Sed cum Praeſul CPolitanus ſuae ſedi principem locum poſt Romanam a tempore Concilii Chalced. aſſerere coeperit, paullatim Alexandriae, Antiochiae, & Hieroſolymae Melchitas Patriar. eo impulit, ut non alia

dum intactos Armenos dimittemus, qui cum Antiochenae Eccleſiae pars olim fuerint, & ab ea ſe dein abduxerint (*a*), peculiares conſuetudines ſibi vindicarunt, in quibus nullum videre eſt certum monumentum huius praeſanctificatorum caerimoniae, ſive *conſignationis calicis*, quae iis diebus, in quibus ex Laodicenae ſynodi canone (*b*) penes Orientales liturgia interdicebatur, apud ipſos perageretur. Illud tantum apparet, etiam in aliturgicis ipſorum diebus (ut ſunt omnes quadrageſimales, demptis ſabbathis, Dominicis, feſto die Virginis ab Angelo ſalutatae, & feria V. in coena Domini) inter preces, quae recitantur, haberi nonnullas, quae ad ſacrificium ſpectant, ut proinde coniici poſſe videatur, olim eas uſurpatas fuiſſe pro ritu praeſanctificatorum, quo obſoleto, ſolae preces remanſerint.

Sed ad Graecos, ut recepimus, procedentibus illud primum

S mum

alia ſuis in Eccleſiis liturgia, quam duplici CPolitana, S. Baſilii nempe, & S. Iohannis Chryſoſtomi uterentur, abdicatis aliis, quae a S. Iacobo fratre Domini, & a Sancto Marco Evangeliſta ſcriptae cenſentur. Harum prima Hieroſolymitanae Eccleſiae propria per omnem fere Syriam, magnamque Aſiae partem obtinebat, & qui illam retinuerunt, Syri appellantur, ut Aegyptii Chriſtiani, qui Alexandrinam S. Marci liturgiam retinere voluerunt, Copti dicuntur. Theodorus Balſamon, qui ſaeculo XII. Antiochenum Patriarchatum tenuit, prodit Eccleſiam hanc tunc nonniſi SS. Baſilii, & Chryſoſtomi liturgias agnoviſſe, & Marcum Alexandrinum Patriarcham, cum CPoli alia ad celebrationem liturgia uti vellet, prohibitum fuiſſe, iuſſumque coram Imperatore promittere ſe ei, quae erat Eccleſiae CPolitanae, adhaeſurum.

(*a*) Haec Armenorum ſeiunctio accidit anno Chriſti IↃLI., a quo & aeram deſumpſerunt, quae Armena dicitur. Ex eo tempore primus eorum Epiſcopus ita ſe ſui iuris reddidit, ut ſibi *catholici* titulum arrogaverit, perduratque modo in Patriarcha totius nationis principe, qui reſidet in civitate Armeniae metropoli *Etzmiazim* dicta, quae vox apud Armenos *unigeniti deſcenſum* ſignificat.

(*b*) Can. XLIX. ap. Labb. Tom. I. *Concilior.* pag. 1539. Venetiis 1728: *Quod non oportet in quadrageſima panem offerre, niſi ſabbatho, & ſolis Dominicis*. Et can. LII: *Quod non oportet in quadrageſima martyrum natalitia celebrari, ſed eorum ſancta commemoratio in diebus ſabbathorum, & Dominicarum fieri conveniat*. Incertum eſt tempus huius Concilii, nam alii ante Synodum Nicaenam, alii ad Liberii tempora ſub an. CCCLXIV. illud referunt.

mum obſervandum venit, vetuſtiſſimum penes ipſos eſſe ritum praeſanctificatorum. Leo Allatius luculenta ſane diſſertatione ad Bartoldum Nihuſium inſcripta (*a*) hunc ritum inluſtrat, qui primum apud ipſos invectus fuit ad praeſeferendum quadrageſimalis temporis ſqualorem, & luctum, quem & ipſo ſacrorum veſtimentorum maeſto colore exprimebant (*b*) (quandoquidem ut laetitiae argumentum ab ipſis ſolemne ſacrificium habebatur), tum dein a Synodo in Trullo palatii CPolitani celebrata, quae vulgo a Graecis *Quiniſexta* nuncupatur, confirmatus fuit, ſic praecipiente (*c*): *In omnibus ſanctae quadrageſimae ieiunii diebus, praeter quam ſabbatho, & Dominica, & ſancto Annunciationis die, fiat ſacrum praeſanctificatorum miniſterium*. In Euchologio ſiquidem, ſive Rituali Graecorum, ritus caerimoniae praeſanctificatorum tempore quadrageſimalis ieiunii continetur. Caerimonia haec ſilet ſingulis ſabbathis, ne ipſo ſabbatho ſancto excepto, tum Dominicis diebus, feſto Annuciationis, & feria v. in coena Domini, in quibus liturgia vel S. Baſilii M., vel S. Iohannis Chryſoſtomi praecipitur; at vero locum habet in ceteris, ſi tamen demas feriam vi. maioris hebdomadae, quae apud Graecos & liturgia, & praeſanctificatorum caerimonia omnino caret. Alucinatus ergo eſt Martenius (*d*), qui ait: *In utraque tamen Eccleſia hac die peragitur Miſſa praeſanctificatorum, in qua ex diei praecedentis ſacrificio tam ipſe* *cele-*

(*a*) Exſtat in calce operis *de Eccleſiae Occidentalis, atque Orientalis perpetua conſenſione* p. 1531. & ſeqq. Coloniae Agrippinae 1648.

(*b*) Graeci in officiis luctus, & maeſtitiae rubro colore utuntur, uti antiquitus adhibebatur in aliquibus Galliarum Eccleſiis, praeſertim feria vi. in Paraſceve, & recens mos eſt Romanorum Pontificum, qui in eadem feria vi., & in aliis triſtitiae officiis mantum, vel pluviale rubrum deferunt, tum & cappam rubram, quae tamen, cum ſemper rubri coloris ſit, haud ad rem facit circa variationem colorum in ſacris Pontificum veſtimentis. Ceterum in his officiis apud memoratos Romanos Pontifices olim niger, vel violaceus color obtinuit, quod Dominicus Georgius luculenti opuſculo demonſtravit, cui titulum fecit: *Gli abiti ſacri del Sommo Pontefice paonazzi, e neri in alcune ſolenni funzioni della Chieſa, giuſtificati &c.* Roma 1724.

(*c*) Labb. To. vii. *Concil* p. 1371.

(*d*) *De antiq. Eccleſ. ritib.* lib. iv. cap. 23. pag. 358. Tom. iii.

celebrans, *quam alii Clerici*, *ipſeque populus univerſus olim communicabat*. Praeſanctificatorum ſane officio utebantur Graeci laudata feria VI. maioris hebdomadae, ſed id fuit in more peculiaribus nonnullis dumtaxat Eccleſiis, non vero omnibus; proindeque Simeonis Archiepiſcopi Theſſalonicenſis aetate iam penitus obſoleverat, neque deinceps amplius invaluit. Obiit Simeon paullo ante captam metropolim ſuam anno CIƆCCCCXXX. ab Amurathe II. Turcorum tyranno (*a*).

Quare tum quoad dies, tum quoad ritus praeſanctificatorum officium admodum varium in Graecorum monumentis habetur. In aliquibus illud ſolis feriis IV., & VI. adſignatur, non vero II., III., & V., dummodo tamen in has haud incidant aliquot feſta ſolemnia, ut nimirum habentur feſta SS. XL. Martyrum, Gregorii Dialogi, & inventionis capitis S. Chriſti

S 2

(*a*) Haec habet Simeon Theſſalonicenſis apud Allatium cit. Diſs. *de Miſſa praeſanctificatorum* pag. 1598: *Sancta quoque, & magna feria ſexta ab initio hac ratione, praeſanctificata peragebantur &c. Sed nunc neſcio, qua ratione deſitum ſit eo tempore praeſanctificata peragi: opinor, quod perfectum ieiunium non ſit, neque Miſſam, uti moris eſt, perfectam fieri, ideoque etiam praeſanctificata neglexiſſe. Adhuc etiam ex Hieroſolymitano Typico, quod proprium Monachorum eſt, & aliud a magnae Eccleſiae Typico, quod univerſae Eccleſiae ſequebantur; continuae vero gentium irruptiones ordinem illius perverterunt, & nunc in catholica tantummodo Theſſalonicenſium Eccleſia reliquum eſt. Sancta vero & magna Paraſceve non perfectam Miſſam celebramus, quod tradens, feria V., Dominus myſteria in memoriam ſuae paſſionis; feria VI. paſſionem volens ſubiit, ut dictum eſt, & per Crucem ſemetipſum ſacrificavit, facultatem praebens iis, qui ipſum morti tradebant. Quapropter veluti in divino eius corpore ſacrificio per paſſionem peracto, non eſt neceſſe rurſus, ut nos, quae ad memoriam paſſionis eius faciunt, peragamus, cum ipſe tum eam ſubierit: proptereaque abſolutum ſacrificium facere, eo tempore prorſus traditum non recepimus. Verumtamen praeſanctificata proponere, & miniſtrare accepimus, quemadmodum in multis ſupra recenſitis conſtitutionibus, libriſque reliquis antiquis, in quibus Evangelia, ſcriptaque apoſtolica digeruntur, hoc idem ſcriptum invenies. Nihilominus nunc ex Monaſtico Hieroſolymorum Typico in uſu non eſt.* His conſentanea ſunt, quae de magna Paraſceve habentur in Graecorum Typico, & Triodio: *Sciendum, nobis traditum eſſe in Palaeſtina hac ſancta die magnae Paraſceves Miſſam integram non peragere, neque praeſanctificatorum dicere, neque etiam menſam praeparare, neque manducare hac ſancta die &c.*

ſti Praecurſoris. In aliis vero ſingulis diebus praeter quam ſabbatha, alioſque exceptos dies. Ac demum in nonnullis ſecunda, & tertia primae ieiuniorum hebdomadae feriis praeſanctificata omittuntur, ſed in aliis etiam in his duabus feriis aſſignantur. Quoad ritus vero, aliae Eccleſiae Dominico die, praeter illius diei oblationem, alios conſecrabant panes, quos pro caerimonia praeſanctificatorum ſeponebant, nec tamen eos vini ſpecie tingebant, cum in praeſanctificatorum officio vere calicem conſecrarent (*a*). Aliae ſolam ſpeciem panis, haud altera vini ſpecie immerſam ad praeſanctificatorum Miſſam adſervabant; aliae ſpeciem panis altera vini ſpecie oblinitam, quod ex praeſcripto Enchologii ubique obtinuit, ſi CPolitanam Eccleſiam excipias, quae praeſanctificatum panem ſanguine non tingit (*b*). Tandem quoad tempus officii praeſancti-

(*a*) In epiſtola Leonis Allatii ad Gabrielem Naudaeum de libris Eccleſiaſticis Graecorum, quae praemittitur diſſertationi *de Miſſa praeſanctificatorum*, ex praeſcriptis Patriarchae CPolitani ad Paullum Hippopſephium Callipolitanum miſſis, haec referuntur pag. 1538: *De praeſanctificatorum modo haec tibi committunt* (Patres ſcilicet). *Ultima Tyrophagae Dominica, Quinquageſimae nempe, cum Miſſa perfecta, ac integra celebratur, & panes ſacri, non uti moris eſt, ſed plures, praeparantur; poſt communiones panes, qui ad Paraſceven uſque ſufficere debent, in pyxide ad id muneris deſtinata aſſervantur, nullo in eos pretioſo ſanguine immiſſo: quod calix ſingulis ieiuniorum diebus praeparatur, & conſecratur, cum praeſanctificatorum Miſſa celebratur, in quem & ante perfectus panis, poſt elevationem in partes diviſus, immittitur. Verumtamen quae neceſſitas fuerit, ſanguinem ſanctum divino pani ante immiſceri, cum praeſanctificatorum Miſſa pro ſancto calice tantum conficienda fiat? Sic ſervato ordine per quinque hebdomadis dies continuatur. Sabbatho integra Chryſoſtomi Miſſa dicitur; die Dominico Baſilii Magni, cum & panes rurſum conſecrantur, & conſervantur: & hoc continuatur ad feriam quartam magnae hebdomadis, cum praeſanctificata finiunt. Tunc autem divinus panis ſanguine tingitur, cum ex Anachoretis aliquis in montes ſe abdit, nec ad Eccleſiam accedit propter nimium erga virtutem ſtudium, avetque ſaepius ſacrorum particeps fieri, ob eam, quae inde corporis & animae conſequitur, ſanctitatem.*

(*b*) Mos CPolitanae Eccleſiae ita exponitur ab Anonymo penes Allatium cit. Diſs. pag. 1594: *Obſervavi multis in locis, ex Sacerdotibus nonnullos, praeſanctificata conſervaturos, Dominico per cochlear ſanguine tingentes, reponere; alios nihil ſimile patrantes. Quod itaque nobis, qui ſpiritualiter ſpiritualia conferre cona-*

ctificatorum nonniſi ſub veſperam, & in ipſo veſpertinarum precum officio, quo ieiunium ſolvere licet, hoc & proponitur, & conficitur, praemiſſis tamen Pſalmis gradualibus, aliiſque canticis, lectionibus, & orationibus, quae in Euchologio proſtant.

De Eccleſiae Alexandrinae ritu nonnulla nunc attigenda ſuperſunt. Penes hanc olim extitiſſe *conſignationem calicis*, ſive praeſanctificatorum caerimoniam, docte, ut ſolet eruit clariſſimus Renaudotius (*a*) ex titulo orationis, quae inſerta eſt liturgiae Graecae Alexandrinae S. Baſilii, quaeque ex S. Marci liturgia altera excerpa eſt. Hic titulus huiuſmodi eſt: *Alia* (Oratio) *apud Aegyptios ex liturgia praeſanctificatorum Apoſtoli Marci poſt perceptionem ſanctorum myſteriorum*. Verum quidquid ſit de hoc ſacrae vetuſtatis veſtigio, certum eſt in omnibus huius Eccleſiae libris ſacris perpetuum haberi praeſanctificatorum officii ſilentium, tum in Eccleſia ipſa (quod haud uſuvenit & in Syrorum, & Graecorum, & Armenorum ritibus) ſingulos dies quadrageſimalis ieiunii liturgicos eſſe, aliturgicas vero ſolas ferias II., III., IV., & VI. maioris hebdomadae. Quare lapſus eſt in errorem Socrates (*b*), qui tradidit

conamur, ſincerius videtur? Neminem ex his de rigore iuris demittere opinamur. Nam hi, praeſanctificati, & inviſibiliter in ſanguinem converſi, ut pars aliqua conſervetur, per panis intinctionem ita diſponunt; alii, veluti pane in corpus Chriſti iam immutato, & quod, una cum eo, tempore communionis immutatur, vino ſufficiente, communicanteſque ſanctificante, nihil tale moliuntur, ſed conſecratione tantum panum acquieſcunt, & haec de hoc negotio noſtra eſt ſententia. Cum vero in hac magna Eccleſia ſecundum in uſu eſſe conſpiciamus, neceſſe eſt, tamquam ſincerius, illud ſequi.

(*a*) *Liturg. Orient. collect.* Tom. II. pag. 85.

(*b*) Lib. V. *Hiſtor. Eccleſ.* cap. 22. pag. 250. Auguſtae Taurinorum 1747: *In coll[illegible] non minor eſt varietas. N[illegible]n cum omnes ubique terrarum Eccleſiae per ſingulas hebdomadas die ſabbathi ſacra myſteria celebrent, Alexandrini tamen, & Romani vetuſtam quamdam traditionem ſecuti, id facere detrectant. Sed Aegyptii, qui Alexandrinis vicini ſunt, & ii, qui Thebaidem incolunt, ſabbatho quidem collectas celebrant: non tamen, ſicut mos eſt Chriſtianorum, ſacra myſteria percipiunt. Poſtquam enim epulati ſunt, & omni ciborum genere ſaturati, ſub veſperam oblatione facta communicant.* Sed ſecus ſuadent Gelaſii, & Gregorii ſacramentales libri, qui in feriis VII., vel ſab-

dit in Alexandrina Eccleſia, tum & in Romana veteri more receptum eſſe, ne ſabbathis ſacrificaretur; ſiquidem in Eccleſia Alexandrina ſabbathum haudquaquam a ſacrificio exceptum occurrit, & in Romana aliturgicum erat ſolum hebdomadae maioris ſabbathum, ut hodie quoque eſt, cum Miſſa huius diei ad ſequentem noctem referatur, quod ſane, etſi haud

ſabbathis Miſſas praeſcribunt. Nec Hieronymus ep. LXXI. al. 28. ad Lucinium affirmaſſet: *De ſabbatho quod quaeris, utrum ieiunandum ſit; & de Euchariſtia, an accipienda quotidie, quod Romana Eccleſia, & Hiſpaniae obſervare perhibentur, ſcripſit quidem & Hippolytus vir diſertiſſimus; & carptim diverſi ſcriptores e variis auctoribus edidere*, niſi ſacra myſteria, ex quibus Euchariſtia percipitur, quotidie fuiſſent celebrata; non enim vulgo extra illorum celebrationem Euchariſtia niſi ab aegrotis percipiebatur. Id forte, quod mox attulimus, dixit Socrates, quia Romani, Alexandrinique, ſabbathi ſolemnitate in Dominicam translata, utramque illam diem pari religione celebrare detrectarent. Ceterum ſabbathum ante Dominicam ſeptuageſimae, tum alterum ante Dominicam Indulgentiae, ſeu Palmarum, *vacans* habetur in Kalendario Romano Frontonis, in quo pag. 56. etiam notatur, cur vacet ſabbathum ante Palmas, quia nempe *datur fermentum in conſiſtorio Lateranenſi*. Sed hac de re conſulatur Ven. Card. Thomaſius in notis ad Capitulare Evangeliorum Tom. v. *Oper.* pag. 452. & ſeq., tum & ipſe Fronto ad loca indicata, & ad Dominicas *vacantes* pag. 40., & 88., nam in Eccleſia Romana aliquando vacarunt dominici illi dies, niſi propriam haberent celebritatem, uti Dominica Paſchae, qui ſequebantur poſt collationem ordinum, quorum officium veſpere ſabbathi incipiebat, & uſque ad lucem multam Dominici diei producebatur. Demum feriae v. in Romana Eccleſia per totum annum forſan inter dies aliturgicos olim numerabantur; nam in antiquis Sacramentorum libris, itemque in Lectionariis, & Kalendariis nulla Miſſa, vel Evangelium tam in Quadrageſima, quam extra ipſam per totum annum feriae v. aſſignatum reperitur, niſi poſt Gregorium II., qui, ut habet Anaſtaſius num. IX., *quadrageſimali tempore, ut quinta feria ieiunium atque Miſſarum celebritas fieret in Eccleſia, quod non agebatur, inſtituit*. Extra Quadrageſimam vero feria v. diu manſit ſine proprio, & ſolemni ſacrificio. Quare in mox citato Kalendario Romano Frontonis, exarato intra tempora Gregorii II., & III., feriae v. Quadrageſimae tantum, & in octavis Paſchae habentur inſcriptae cum Miſſa, vel Evangelio. De diebus autem *polyliturgicis* in Latino ritu, quos Eccleſia Orientalis numquam agnovit, legatur Cardinalis Bona lib. I. *rer. Liturgicar.* cap 18., cum hi extra noſtrum ſcopum ſint.

haud indigitarint ſcriptores rerum liturgicarum, & praeſertim Amalarius, qui (*a*) Miſſam hanc *de nocte* appellat, perſpicue tamen preces, quae ſuperſunt, tum & ipſe color albus paramentorum oſtendunt. Aliturgica pariter in Eccleſia Romana eſt praecedens feria ſexta, aſt in ea (quod in Alexandrina minime fit) praeſanctificatorum officium conficitur, cuius mentio eſt in Sacramentario Gelaſiano, quod eſt huius ritus antiquiſſimum teſtimonium. Quare hi ſunt celebres dies, quos S. Innocentius I. PP. (*b*) ex Apoſtolica traditione aliturgicos vocat. At vero Mediolanenſis Eccleſia inter aliturgicos dies habet ſingulas ferias ſextas Quadrageſimae, nec tamen utitur praeſanctificatis; licet ritus hic, qui Ambroſianus audit, parum antiquitatis redoleat, cum non altius ſaeculo circiter x. repetatur (*c*). Sed de hoc ſatis (*d*). Refert vero

(*a*) Lib. I. *de Eccl. offic.* cap. 31.

(*b*) Epiſt. *ad Decentium* ap. Conſtantium pag. 859.

(*c*) Vid. Petrum le Brun *Explanatio Miſſae* Tom. II. pag. 71. Venetiis 1770.

(*d*) De uſque adhuc memoratis nationibus Ebedieſu cognomento *Bar-Brica*, Sobae, ſeu Niſibis, & Armeniae Metropolita, qui floruit ſub Iaballaha Chaldaeorum Neſtorianorum Patriarcha, haec refert in libro *Margaritae de veritate fidei* Part. III. cap. 4. apud Aſſemanium Tom. III. part. 1. *Bibl. Orient.* pag. 355: *Inde factum eſt, ut Chriſtianorum coetus in tres ſectas diviſus fuerit. Prima quidem unam naturam, & unam perſonam in Chriſto confitetur, quam Copti, & Aegyptii, atque Aethiopes ex traditione Cyrilli ſui Patriarchae tenent, & Iacobitarum appellatur, ex eo quod Iacobus quidam vir doctus inter Syros ad ſtabiliendam Cyrilli confeſſionem apud Syros, & Armenos plurimum contulit. Altera, quae duas naturas, & unam perſonam aſſerit, Melchitarum dicitur, quippe quae ab Imperatore vi ſtabilita eſt: & hanc ſuſcepere Romani, qui Franci appellantur, & Conſtantinopolitani Graeci, & omnes populi boreales, Rutheni ſcilicet, Alani, Circaſſi-Aſiani, Georgiani, & reliqui ipſis finitimi. Franci vero ab illis diſcedunt in eo, quod Spiritum Sanctum a Patre Filioque procedere dicunt, & azyma ad ſacrificium uſurpant. Et geminae quidem praedictae ſectae illam vocem, Deipara, ſuſceperunt: Iacobitae vero in canone Triſhagii adiecerunt illud, qui crucifixus eſt pro nobis. Tertia autem ſecta, quae duas naturas, & duas perſonas in Chriſto confitetur, Neſtorianorum appellatur. Orientales namque veritatem ſuam minime immutarunt, ſed ſicut ab Apoſtolis accepere, ſine variatione ſervarunt. Neſtoriani tamen per iniuriam & immerito nuncupati ſunt, quandoquidem nec Neſtorius eorum Patriarcha fuit, nec eius linguam intelligebant; ſed cum audiſſent duas naturas, & duas perſonas unum Filium Dei, unum*

vero magnus Hipponenſis Eccleſiae Antiſtes Auguſtinus (*a*), ambigenti eius matri de obſervatione ſabbathi ſanctum Ambroſium haec repoſuiſſe: *Quando hic* (Mediolani) *ſum, non ieiuno ſabbatho; quando Romae ſum, ieiuno ſabbatho; & ad quamcumque Eccleſiam veneritis eius morem ſervate, ſi pati ſcandalum non vultis, aut facere* (*b*). Hinc S. Hieronymus ſapienter ait (*c*): *Illud breviter te admonendum puto, traditiones Eccleſiaſticas (praeſertim quae fidei non officiant) ita obſervandas, ut a maioribus traditae ſunt: nec aliorum conſuetudinem aliorum contrario more ſubverti.* Quare omnia eo adduximus, ut ſuus ſtet honor cuique ritui, quem hactenus recenſuimus circa vetuſtiſſimam ſacram praeſanctificatorum caerimoniam, quae *conſignatio calicis* a Syris dicta eſt; ac tandem Ordinem adorationis Crucis exhibeamus, qui hic eſt.

APPEN-

unum Chriſtum ab illo praedicari, orthodoxam ab eo fidem aſſeri ſuo teſtimonio confirmavere; quoniam & ipſi eamdem ſententiam tenebant. Quare Neſtorius eos ſequutus eſt, non ipſi Neſtorium. Haec ſcriptor gente Chaldaeus, ſecta Neſtorianus, qui haeretico faſtu nomen iſtud, quo Neſtoriani haereſeos novitatiſque convincuntur, a ſe amoliri contendit. Obiit ſub initium menſis novembris anni Graecor. cIↄIↄcxxx. Chriſti cIↄccccxvIII.

(*a*) Ep. xxxvI. al. 86. *ad Caſulanum.*

(*b*) Eadem habet in epiſt. LIV. al. 118. ad Ianuarium: *Conſului*, inquit, *de hac re beatiſſimae memoriae virum Ambroſium: reſpondit mihi nihil ſe docere me poſſe, niſi quod ipſe faceret, quia ſi melius noſſet, id potius obſervaret. Cumque ego putaſſem nulla reddita ratione auctoritate ſola ſua nos voluiſſe admonere, ne ſabbatho ieiunaremus, ſubſecutus eſt, & ait mihi*: „ Cum Romam venio, „ ieiuno ſabbatho; cum hic ſum, „ non ieiuno. Sic etiam tu, ad „ quam forte Eccleſiam veneris, „ eius morem ſerva, ſi cuiquam „ non vis eſſe ſcandalo, nec quem- „ quam tibi. „ *Hoc cum matri renuntiaſſem, libenter amplexa eſt. Ego vero de hac ſententia etiam atque etiam cogitans, ita ſemper habui, tamquam eam caeleſti oraculo acceperim. Senſi enim ſaepe dolens, & gemens multas infirmorum perturbationes fieri, per quorumdam fratrum contentioſam obſtinationem, vel ſuperſtitioſam timiditatem, qui in rebus huiuſmodi, quae neque ſcripturae ſanctae auctoritate, neque univerſalis Eccleſiae traditione, neque vitae corrigendae utilitate, ad certum poſſunt terminum pervenire (tantum quia ſubeſt qualiſcumque ratiocinatio cogitantis, aut quia in ſua patria ſic ipſe conſuevit, aut quia ibi vidit, ubi peregrinationem ſuam quo remotiorem a ſuis, eo doctiorem factam putat) tam litigioſas excitant quaeſtiones, ut niſi quod ipſi faciunt, nihil rectum exiſtiment.*

(*c*) Epiſt. LXXI. al. 28. *ad Lucinium.*

APPENDIX

RITUS SALUTATIONIS CRUCIS
IN ECCLESIA ANTIOCHENA SYRORUM SERVATUS

O R D O

Qui ſervatur in adoratione CRUCIS SANCTAE, & VIVIFICAE, quae ſit feria ſexta [1] Crucifixionis.

Sacerdos poſt orationem Nonae ponit ſedem coram altari cooperto ſupellectili rubra (2), *& ſupra ipſum ſit Crux, & duae candelae una a dextera Crucis, & altera a ſiniſtra ejus, & illuminat ſolam candelam, quae a dextera* (3): *& poſtea Sacerdos incohat Orationem, ac dicit.*

PRaeſta nobis Domine colores praeclaros pietatis tuae, & pigmenta electa miſericordiae tuae, quibus in tabulis cordium noſtrorum te depingamus, cum inter duos latrones ſuſpenſus eras prae tuo amore, itaut exprimentes in mente noſtra imaginem ſtuporis tuae paſſionis, digni efficiamur gloria reſurrectionis tuae, & ſuavitate gratiae tuae, & adoremus, ac glorificemus benignitatem tuam, & Patrem tuum.

ORATIO.

O Crucifixe propitiator, qui tuo Sanguine ſancto, & expiatorio expiaſti mundum a finibus eius, & illum latronem, qui credidit in te, expiaſti ab eius iniquitate, & regno dignum eum effeciſti: expia & modo Domine mi per tuam paſſionem omnes nos, & per tuam mortem nos vivifica, & per tui occiſionem, quae propter nos, ſuſcita nos Chriſte Deus noſter, quoniam tu es ſpes, & redemptio omnium noſtrum, tibique gloria.

Qui finem das luci diei (4).

Miſerere mei. Stetit Dominus noſter ſupra verticem ligni, & complexus eſt quatuor fines in medio orbis (5), fecit ſalutem filiis Adae, & voce ſua exclamavit, & ſciſſa ſunt monumenta, ac ſaxa, & ſurrexerunt defuncti.

Am-

ܛܒܐ ܕܠܐ ܫܘܚܠܦܐ ܕܙܒܢܐ ܦܘܫܐ ܘܡܟܬܒ ܚܝ̈ܐ ܀

ܕܗܘܐ ܒܝܘܡܐ ܕܒܪܘܟܬܐ ܕܐܦܝܣܩܘܦܘܬܐ ܀

ܒܗܘܢܐ ܚܟܝܡ ܙܟܘܬܐ ܘܬܫܡܫܬܗ ܫܠܡ ܦܘܪܫܢܐ ܩܕܡ ܡܕܒܪܢܐ

ܘܡܣܝܥ ܒܡܕܝܢܬܐ ܫܘܡܠܝܐ ܘܟܠܠܐ ܡܢܗ ܙܒܢܐ : ܘܐܬܪܝܡ

ܦܘܪܩܢܐ ܚܕ ܡܢ ܡܫܝܚܗ ܕܙܒܢܐ ܘܐܣܬܪܝܡ

ܡܢ ܫܡܠܝܗ . ܘܡܢܗܘܢ ܠܦܪܘܩܢܐ ܕܡܢ

ܡܫܝܚܐ ܕܠܚܘܕ : ܘܒܬܪܟܢ ܒܗܘܢܐ

ܡܦܢܐ ܙܟܘܬܐ ܘܐܦܢܝ ܀

ܗܒ ܠܢ ܡܪܝܐ ܒܥܘܢܐ ܕܪ̈ܘܚܐ ܕܚܝܝܢ ܘܡܫ̈ܟܢܢܐ ܒܒܢ̈ܝܐ
ܘܡܪܢܝܬܘܬܢ ܕܒܗܘܢ ܠܐ ܠܥܠܡ ܕܠܥܠܡܝܢ ܕܝܘܡܢ. ܒܗ ܒܒܝܬܗ
ܠܐܝܟܢܐ ܬܬܩܘܡ ܒܫܠܡ. ܐܡܝܢ ܕܒܗ ܡܡܠܠܝܢ ܠܐ ܙܒܢܝܢ
ܙܒܢܐ ܕܐܬܗܪܘ ܕܝܠܢ. ܢܬܒܘܐ ܠܡܘܟܟܐ ܕܡܫܡܫ ܘܠܒܘܫܝܟܐ
ܕܬܫܒܘܚܬܐ : ܘܢܬܟܠ ܘܢܦܩܘܕ ܠܡܪܢܝܬܘܬܢ ܘܠܐܒܘܢ ܀

ܙܟܘܬܐ ܀

ܐܘ ܙܒܢܐ ܡܣܬܥܢܐ ܕܒܝܬܗ ܦܪܝܫܐ ܘܡܣܬܥܪܢܐ ܡܫܒܚ
ܠܥܠܡܐ ܡܢ ܫܡܗ : ܘܠܗܘܢ ܒܝܫܐ ܕܦܝܫܝܢ ܒܗ ܡܫܒܚ ܡܢ ܠܥܠܗ
ܘܠܡܠܟܘܬܐ ܐܫܬܒܗ : ܝܫܐ ܡܪܝ ܘܗܘܐ ܠܥܠܡ ܒܫܡܝܢ : ܘܐܝܟ
ܒܡܠܬܢ : ܘܝܗܒ ܠܢ ܒܗ ܦܘܠܚܢ ܕܠܐ ܐܦܝܢ ܡܫܝܚܐ ܠܠܒܢ. ܡܛܠ
ܕܐܝܟ ܐܠܗܢ ܫܒܪܐ ܘܦܘܪܩܢܐ ܕܟܠܢ : ܘܠܗ ܫܘܒܚܐ ܀

ܦܫܠܗ ܢܗܘܪܗ ܕܐܠܗܐ ܀ ܘܢܫܬܠܡ ܀

ܒܗ ܡܢܝ ܠܐ ܙܟܐ ܦܢܝܐ : ܘܐܢܝ ܠܐܘܪܥܘܬܗ ܒܡܨܥܬܗ
ܕܐܬܠܠܐ ܐܘܪܚ ܦܘܪܩܢܐ ܠܡܠܟܘܬܗ ܕܐܝܟ ܘܒܪܟܐ ܒܡܠܬܗ
ܘܐܙܪܝܩ ܡܚܝܐ ܘܡܘܠܐ ܘܡܝܬܪ ܗܘܐ ܒܟܝܢܐ ܀

Amplius. In hac die clamavit in Cruce, Deus, Deus, ut quid dereliquiſti me, & tradidit ſuum ſpiritum Genitori ſuo, prout voluit, pro noſtra redemptione, & implevit omnia, quae ſcripta ſunt in prophetia de ſua humiliatione.

Tibi ſoli. In paraſceve occidit ſol populi, qui ad iram concitavit Deum, & expletum eſt verbum Prophetarum, quod in meridie ſol obtenebraſcet, & facta eſt nox in media die, quia vidit Dominum ſuum crucifixum in patibulo.

Tu autem. Suſpenderunt maledicti in ligno illum, per quem benedicti fuerunt populi, ac inter dexteram, & ſiniſtram, ut lampadem in medio domus, & per lucem eius complanata fuit via munda, per quam populi ambulent.

Satia me. Duos latrones crucifixerunt cum eo ſymbolum regni, & gehennae: a dextera eius regnum, & a ſiniſtra eius gehenna. Filius ſiniſtrae conviciabatur ei, & filius dexterae ipſius paſſionem confitebatur.

Cor. Quis, Domine, idoneus eſt confitendi (gratias agendi) humiliationi tuae pro nobis ſuſceptae; nam propter vilem Adamum ſupra patibulum ſuſpenderunt te miſerationes tuae. Veh populo, qui te negavit, & beatitudo populis, qui adorant Crucem tuam.

Sed redde. Per baculum (virgam) typum Crucis exivit populus ex medio Aegypti, & mare, quod vidit eum exeuntem, diviſit ei viam, qua tranſiret. Et filius Dei in eo ſuſpenſus fuit ſupra patibulum crucifixionis.

Libera me. Extendit manus ſuas Filius Dei pro nobis ſupra lignum crucifixionis, & devicit malignum adverſarium; & deſtruxit omnem poteſtatem eius. Obſtupuit virtus eius (maligni), ac ſatellites eius (confuſi ſunt), & caſtra eius corruerunt.

Quia noluiſti. Oh Crux plena opprobrio, & fons totius gloriae; defixa eſt in ea maledictio Hevae, & tota plena

ܐܣܝܐ ܀ ܒܗܘ ܝܘܡܐ ܦܓܥ ܒܪܘܡܐ: ܐܝܠܐ ܐܝܠܐ ܠܡܫܝܚܐ
ܡܫܒܚܐ: ܘܐܬܠܝ ܙܘܥܗ ܠܡܠܟܘܬܗ: ܐܝܟ ܕܝܢܐ ܚܠܦ ܦܘܪܩܢܢ:
ܘܡܫܒܚܝܢ ܟܠܗܘܢ ܕܒܫܡܝܢ ܒܬܫܒܘܚܬܐ ܡܫܠܐ ܡܫܒܚܝܢ ܠܗ ܀

ܒܝܬ ܒܠܫܢܢ ܀ ܒܪܘܝܬܐ ܕܒܪܐ ܡܫܝܚܗ ܘܒܫܡܗ
ܘܐܦܩܗ ܠܠܒܘܫ ܘܡܠܟܘܬܗ ܒܟܠܗ ܘܒܚܝܐ ܘܒܦܘܪܩܢܐ ܡܫܝܚܐ ܢܒܝܐ:
ܗܘܐ ܠܟܠܐ ܡܫܒܚܐ ܐܝܟ ܡܫܝܚܐ ܘܚܝܐ ܠܡܪܗ ܘܫܠܡܐ ܠܠܐ ܥܠܡܐ ܀

ܐܬܘܬܢ ܀ ܠܦܘܩܘܢ ܠܥܠܡܐ ܠܠܐ ܥܠܡܐ ܠܒܪܗ ܘܐܬܒܪܟ ܒܗ
ܠܡܫܝܚܐ ܒܫܡܗ ܡܫܝܚܐ ܠܥܡܠܐ ܐܝܟ ܫܒܩܐ ܒܡܫܝܚܗ ܒܫܡܐ: ܘܒܗ
ܢܗܘܪܐ ܐܬܚܙܝ ܐܘܪܚܐ ܫܦܝܪܐ ܠܟܠܡܫܝܚܐ ܢܘܒܠܢ ܒܗ ܀

ܐܫܒܚܘܢ ܀ ܠܐܘܪ ܒܫܡܝܐ ܐܬܦܬܚ ܠܡܫܗ ܘܐܦ ܡܠܟܘܬܐ
ܥܠܝܢܐ: ܡܢ ܫܡܝܢ ܡܠܟܘܬܐ ܘܡܢ ܡܫܠܚܗ ܒܢܘܗܪܐ: ܒܪ
ܫܡܠܐ ܐܬܒܪܟ ܒܗ ܘܒܪ ܫܡܝܢܐ ܒܫܡܘܗܝ ܐܬܘܐ ܗܘܐ ܀

ܟܒܐ ܀ ܡܢܘ ܡܢܗ ܫܦܥ ܘܢܘܐ ܠܡܫܒܚܢ ܘܡܫܠܡܢ:
ܘܡܫܠܐ ܐܝܟ ܚܠܡܐ ܠܠܐ ܥܠܡܐ ܐܬܦܫܛ ܘܫܡܝܢ: ܘܠܗ ܠܟܠܡܫܐ
ܘܒܦܪ ܒܟ ܘܥܬܝܕܐ ܠܟܠܡܫܝܐ ܘܫܦܝܪܝܢ ܠܡܠܟܘܬܝ ܀

ܐܠܐ ܐܬܦܢ ܀ ܒܫܘܒܚܐ ܕܡܫܝܚܐ ܘܡܠܟܐ ܢܦܩ ܠܥܡܐ ܡܢ
ܒܗ ܡܫܝܚ: ܘܫܡܝܐ ܘܚܝܘܗܝ ܒܗ ܢܦܫ ܦܓܪܝ ܠܗ ܐܬܪܘܡܐ
ܠܡܫܒܚܢܗ: ܘܒܪ ܐܠܗܐ ܒܗ ܐܬܐܠܗ ܠܠܐ ܡܫܝܚ ܫܡܝܐ ܗܘ
ܘܐܬܦܫܛܐ ܀

ܙܪܥ ܀ ܡܫܝܚ ܐܝܬܘܗܝ ܡܫܠܡ ܠܠܐ ܥܠܡܐ ܘܡܠܟܘܬܐ
ܘܐܦ ܠܟܠܡܐ ܒܟܠܗܘܢ ܘܫܠܐ ܒܠܗ ܡܫܠܡܢܗ: ܒܗܘܢ ܚܝܠܗ
ܘܡܫܡܫܢܘܗܝ ܘܐܫܬܡܫܬ ܗܘܐ ܒܠܗ ܡܫܪܝܬܗ ܀

ܡܫܠܐ ܘܠܐ ܙܒܢܬ ܀ ܐܘ ܙܒܢܐ ܕܡܠܐ ܚܝܐ ܘܢܒܝܐ ܕܒܠܗ
ܠܡܫܝܚܐ. ܡܫܝܚܐ ܒܗ ܠܡܠܟܐ ܚܝܐ ܘܡܠܐ ܒܠܗ ܒܦܘܪܩܢܐ. ܒܪ ܐܠܗܐ
ܡܫܪܫܢ

na eſt benedictionibus : Filius Dei denudatus erat (6), & conveſtiebat gloria Adamum, & filios eius.

Benigne. Adoramus, Domine, Crucem tuam, in qua eſt reſurrectio noſtra, & in qua eſt vivificatio noſtra, & per quam reverſi ſumus ad Paradiſum, quem perdidimus ob noſtras inſipientias; benedictum ſit lignum Crucis, quod omnes populos ab errore redemit.

Sacerdos. *Proemium* (7).

Illi ſummo Pontificum excelſo, qui ſe ipſum ſanctum obtulit pro remiſſione peccatorum noſtrorum, & per paſſionem humiliationis ſuae ſtupendae redemit nos, & plagam priſtinam ligni, quam tranſgreſſio legis fecit, ſanavit per lignum ſuae crucifixionis, & guſtum dulcem, ac vivificum pro guſtu amaro, & laetifero dedit, ac conceſſit, ipſi ènim (8).

O R D O.

Deus omnium conditor, & creator, ille, qui habes impaſſibilitatem, & immortalitatem, & propter redemptionem noſtram pro nimio tuo amore, & pro voluntate tua bona ad paſſionem, & mortem veniſti, ut paſſiones noſtras tua paſſione abrogares, & mortem noſtram tua morte mortificares; & a populo Judaeorum ignominiam, contumeliam, & irriſionem ſuſtinuiſti: & cum ſis Judex omnium, coram Pilato Praeſide in judicio ſtetiſti, & tamquam reus fuiſti interrogatus, & morti tamquam malorum actor traditus fuiſti; & cum ſupra humeros Cherubim in excelſis benediceris, ſupra Crucem ſalutarem voluntate tua appenſus fuiſti; & dum Angeli ab aeſtu tuo velant facies ſuas, nudus in patibulo affixus fuiſti, & ſolem in ſuo loco obtenebraſcere feciſti, & expanſione manuum tuarum aerem ſanctificaſti, &

omnia

ܡܦܪܫ ܗܘܐ ܘܡܩܠܣ ܫܘܒܚܐ ܠܐܠܗܐ ܒܕܝܠܗܘܢ ܀
ܐܬܠܒ ܀ ܫܠܝܡܢ ܡܐܡܪܐ ܠܚܠܡܐ ܕܒܗ ܡܫܬܡܗ ܘܟܠܗ
ܢܘܡܐ: ܘܟܠܗ ܗܘ ܩܠܝܠ ܠܦܘܪܩܢܐ ܕܐܘܟܝܬ ܒܫܩܠܗܝ ܕܪܡܫܐ
ܡܫܚܐ ܕܟܠܝܐ ܕܦܪܫ ܠܥܡܡܐ ܟܠܗܘܢ ܡܢ ܛܘܥܝܝ ܀

ܥܘܢܐ ܦܪܘܡܝܘܢ ܀

ܠܗܘ ܕܝܢ ܒܡܫܪܝܐ ܡܪܢܝܬܐ ܕܗܘ ܩܘܡܐ ܫܡܝܐ ܦܪܝܫ ܥܠܝ
ܣܘܟܠܐ ܕܢܣܒܘܢ: ܘܟܝܢܐ ܕܡܘܕܥܘ ܠܡܝܘܐ ܦܪܝܫ ܘܠܡܫܘܚܬܐ
ܡܕܡܝܬܐ ܕܫܡܝܐ ܕܟܒܪ ܦܘܩܕܢܐ ܟܕ ܡܫܐ ܘܐܡܠܘ ܐܢܟܝܢ:
ܝܕܥܬܐ ܚܟܝܡܬܐ ܘܡܐܚܝܕܬܐ ܥܠܝ ܝܕܥܬܐ ܡܪܢܝܬܐ ܘܡܦܘܠܚܬܐ
ܚܙܝܢ ܘܣܟܝܢ. ܘܟܠܗ ܡܠܐ ܀

ܫܪܪܐ ܀

ܐܠܗܐ ܒܟܘܢܐ ܘܒܪܘܝܐ ܕܟܠ: ܗܘ ܕܗܢܐ ܐܝܬ ܠܐ ܡܬܡܫܚܢܐ
ܘܠܐ ܡܬܕܪܟܢܐ: ܘܡܫܟܠ ܦܘܪܫܢܐ ܕܟܠ ܒܫܘܟܢ ܫܠܝܛܐ ܘܡܬܚܟܡ
ܛܒܐ ܟܠܗ ܚܝܐ ܘܡܘܬܐ ܐܝܬܘܗܝ. ܐܢܫܐ ܕܫܡܥܘܢ ܠܡܫܬܠ ܒܫܡܝܐ
ܘܠܡܘܬܝ ܠܡܬܒܥ ܒܡܘܬܢ: ܘܡܢ ܟܠܗ ܕܗܘܝܐ ܕܟܢܐ ܘܟܠܝܐ
ܘܡܘܝܬܐ ܫܒܝܬܐ: ܘܡܢ ܐܝܟܢ ܕܝܢܐ ܕܟܠ ܚܝܘܢ ܦܠܛܘܣ
ܠܡܘܬܐ ܕܒܝܬܐ ܦܬܚܗ: ܘܐܬܬܠܗ ܐܝܟ ܫܡܥܐ ܘܐܬܬܠܟܝܬܗ
ܠܡܘܬܐ ܐܝܟ ܟܠܗ ܒܫܡܥܐ: ܘܡܢ ܟܠ ܚܝܐ ܕܪܘܚܐ ܒܡܪܘܚܬܐ
ܦܬܟܢܝܢ ܐܝܬ: ܟܠ ܕܠܡܟܐ ܦܘܪܩܢܐ ܕܟܠܝܢ ܐܬܬܠܟܬ : ܘܡܢ
ܡܬܐܠܐ ܡܬܚܡܝܢ ܐܬܘܢ ܡܢ ܡܪܘܚܬܢ ܒܦܪܘܢܬܐ ܟܕ ܐܡܘܫܚܐ
ܐܬܟܒܬ ܘܠܚܡܘܬܐ ܟܐܠܘܙ ܐܝܟܝܬ : ܘܫܩܝܦܐ ܕܐܬܝܕܝܢ ܠܐܪܙ
ܩܕܝܫ: ܘܟܠܠ ܠܫܡܝܐ ܕܟܠܢ ܘܐܟܠܢ ܘܪܘܚܢ ܩܕܝܫܐ ܢܝܕܝܐ:
ܘܠܐܪܙ ܕܒܗܘܡܬܐ ܕܟܠܬܐ ܫܪܝܐ ܗܘܐ: ܒܪܝܟ ܚܟܝܡ ܒܟܠܬܗ:
ܘܟܡܟܠܢ

omnia ad adorationem tui, ac Patris tui, & Spiritus tui Sancti traxiſti, & aerem, qui foetore ſacrificiorum corruptus fuerat, ſuavitate odoris tui perfudiſti, & tuo in patibulo clamore vela portae Templi ſcidiſti, ac terram commoviſti tremore, & ſaxa ſcidiſti, ac ſepulchra aperuiſti; Sathanam etiam interfeciſti, ac infernum depopulaſti, ſepultis vitam praedicaſti, & incorruptibilitatem denunciaſti, atque e ſepulchris ſuis ſurgentes veritatem Reſurrectionis tuae demonſtrarunt. obſecramus itaque gratiam tuam, ac miſerationes tuas aeternas, quas effudiſti in univerſum genus noſtrum infirmum, ac vile in die hac paſſionis tuae vivificae, ut nos efficias paſſionibus, & noxis ſuperiores, noſque liberos reddas ab omnibus paſſionibus ignominioſis, & foedis: & tua divina virtute arma nos, ut poſſimus ſtare adverſus omnes ſagittas ardentes maligni, & paſſiones peccati; & per te vincamus omnimodas inſidias adverſarii; & ſigno vivo Crucis tuae cuſtodi nos, & ſub alis ejus protege nos; & in illa noviſſima die adventus tui non confundamur una cum iis, qui abnegarunt te, & tuam diſpenſationem irriſerunt: ne cruciemur in gehenna cum illis, qui deriſerunt paſſiones tuas irreprehenſibiles; ne igne abſumamur cum illis, qui audacter te crucifixerunt ſupra lignum, ne perſentiamus, & anguſtiemur in tenebris cum illis, qui exſpuerunt in faciem tuam, & arundine te percuſſerunt; ne vaeh nobis ipſis apprecemur cum illis, qui blaſphemarunt in te dicentes: ſi Filius Dei es, deſcende nunc de Cruce, & credemus te; ne mittamur in fletum, & ſtridorem dentium cum iis, qui labia ſua moverunt, & capita ſua commoverunt, dicentes: Ehe, ehe, vidit eum oculus noſter: ſed tu Domine benigne propitius eſto nobis, & miſerere noſtri in illa hora plena timore, & tremore, & libera nos omnes ſervos tuos, ac ancillas tuas, qui nunc procumbimus coram te, & adoramus, ac honoramus paſſiones tuas vivificas, & in Cruce tua ſalutari gloriamur, & amplectimur, ac oſculamur ſtigmata tua, & in ſalutari

ܘܡܬܟܠܟܠܝܢ ܕܠܐ ܫܡܫܐ ܐܦܩ ܠܐܪܥܐ ܕܗܘܝܠܐ ܚܝܘܬܐ : ܘܐܪܥܐ
ܐܪܒܥܬܐ : ܘܩܘܡܬܐ ܪܡܐ : ܘܩܢ̈ܘܢܐ ܦܠܚܬܐ : ܘܦܠܚܘܬܐ ܡܬܠܝܐ :
ܘܦܘܪܣܐ ܡܠܝܐ : ܘܐܢܫܐ ܚ̈ܝܐ ܠܡ̈ܫܪܝܐ ܘܠܐ ܡܬܚܫܒܢܘܬܐ . ܘܡܢ
ܡ̈ܠܝܗܘܢ ܩܢܝܘ ܘܠܦܘܪܣܐ ܘܡܫܬܡܥܝܢ ܚܙܝܘ . ܘܒܝܕܝܗܘܢ ܡܬܚܫܒܝܢ
ܠܚܝܘܬܐ ܘܠܪ̈ܘܚܢܝܐ ܡܬܚܫܒܐ ܗܘܝܢ ܕܐܫܬܟܚܬ ܠܐ ܦܠܚܘ
ܒܐܝܕ ܡܚܝܠܐ ܘܐܣܝܐ : ܒܡܘܡܐ ܗܢܐ ܕܚܙܝܢ ܡܟܐ ܚ̈ܝܐ ܕܐܬܒܪܝ
ܠܐ ܚܘ̈ܫܐ ܘܠܐ ܡܬܚܫܒܢܐ : ܘܐܚܪܢ ܠܝ ܡܢ ܒܝܘ̈ܡ ܚ̈ܝܐ ܡܪ̈ܥܐ
ܘܕܝ̈ܘܐ : ܘܡܚܝܠܐ ܕܡܢ ܐܠܗܐ ܐܝܟ ܠܝ : ܕܢܬܡܪܐ ܘܢܫܬܡܥ ܠܡܫܠܐ
ܕܠܗܘܢ ܒܐܪܥܐ ܩܕ̈ܝܫܐ ܕܒܗ ܚ̈ܝܐ ܘܡܠܬܐ : ܘܡܢ ܕܢܚܐ ܠܡܫܠܐ
ܚܢܐ ܕܡܫܒܚܝܢ ܗܘܘ ܕܠܡܫܠܐ ܘܒܢܝܐ ܚܝܐ ܕܪܠܒܝܢ ܠܟܘ: ܠܗ
ܘܐܢܫܐ ܒܢ̈ܩܘܫܐ ܡܬܩܪܝܢ : ܘܒܡܘܡܐ ܗܘ ܐܚܪܝܐ ܕܡܬܐܡܪ ܠܐ
ܢܚܘܐ ܒܗ ܗܘܝ ܕܒܪܘܚ : ܘܒܐܝܕܐ ܒܡܬܒܪܢܘܬܐ . ܠܐ ܢܬܚܙܐ
ܒܚܝܘܬܐ ܒܗ ܗܘܝ ܘܡܢܝܢܐ ܕܫܡܝܢ ܠܐ ܒܟܠܐ : ܠܐ ܢܬܬܠܐ
ܒܢܘܪܐ ܒܗ ܗܘܝ ܕܪ̈ܚܡܝܢ ܡܬܝܠܝܕ ܠܐ ܡܫܠܐ : ܠܐ ܢܬܚܘܐ
ܘܢܬܪܦܐ ܒܫܘܒܚܐ ܒܗ ܗܘܝ ܕܪܘܚ ܠܗ ܒܐܩܝܡ ܘܒܢܝܐ ܡܫܝܚܐ :
ܠܐ ܢܬܠܐ ܘܐܦ ܠܡܬܩܢܝܢ : ܒܗ ܗܘܝ ܕܒܪܘܚ ܚܠܝܡ ܡܢ ܐܡܪܝܢ .
ܘܐܦ ܒܪܗ ܕܐܠܗܐ ܐܝܬ ܚܝܐ ܗܘܐ ܡܢ ܙܒܢܐ ܘܢܘܡܝܐ ܒܢ: ܠܐ
ܢܬܒܪ ܠܒܪܐ ܘܠܚܘܪܦ ܗܘ̈ܐ ܒܗ ܗܘܝ ܕܦܓܪܗ ܒܫܒܩܢܘܬܗܘܢ
ܘܐܝܢܘ ܒܪ̈ܫܝܢܘܬܗܘܢ ܘܐܡܪܗ ܐܢܐ ܐܢܐ ܚܝܐ ܒܗ ܒܝܫ . ܐܠܐ ܐܝܬ
ܠܐܠܗܐ ܡܪܚܡܢܐ ܚܘܣ ܥܠܝܢ ܘܪܚܡܬܟܘܢ ܒܗܘܢ ܫܠܡܐ ܡܠܟܐ
ܡܠܟܐ ܘܡܫܘܪܐ . ܘܢܬܠܟ ܠܒܢܝܢ ܠܡ̈ܠܐ ܘܐܡ̈ܪܢܘܬܐ ܕܚܝܢ
ܘܡܬܦܪܢܣܝܢ ܗܘܐ ܦܩܕܝܢ ܘܦܣܘܩܝܢ ܘܡܬܢܣܝܢ ܠܚ̈ܝܠܝܢ
ܡܟܬܒܝܢ ܚ̈ܝܐ ܘܒܪܟܬܢ ܦܘܪܩܢܐ ܡܬܚܒܪܢܘܬܐ ܘܡܫܒܚܝܢ
ܘܡܢܗܘܢ ܠܫܘܒܚܐ ܘܢܬܪܝܢ ܒܩܘܪܒܢ ܘܠܒܝܫ ܠܟܠܗܘܢ

ܠܐ

lutari tuo honorificamur, dele omnes praevaricationes noſtras, & ſub umbra Crucis tuae victricis protege nos, & tecum, Sponſae caeleſtis, in Regnum tuum caeleſte perducito nos, ut ibi abſque ceſſatione referamus tibi gloriam, & confeſſionem, & Patri tuo (9).

Chriſte cuſtodi Eccleſiam tuam.

En adorat Eccleſia ſancta lignum honorabile Crucis, ſupra quam ſuſpenſus, & exaltatus fuit ille, qui germinare fecit omnes plantas; naturae omnes naturae ligni (Crucis) inviderunt, ad quam ſcilicet dignitatem devenit, ut illum, ad cuius portum nequeunt accedere Cherubim iugales, nudum exceperit, & portaverit, ac ſuper ipſum exaltatus fuerit Filius Dei. Et en hodie omnes Eccleſiae filii coram eo inclinantur.

Benedictum eſt lignum Crucis, quod inſipientes defixerunt in Golgota, & ſupra quod elevatus fuit Deus, uti Iſaias prophetavit, & tamquam agnus ad victimam ductus eſt, & ipſe locutus non fuit coram Judice, & generationem eius quis enarrabit, quia in ſua eſſentia ſine fine eſt. Laus humiliationi eius, qui e ſinu Patris ſui non diſceſſit, & pertulit paſſiones, & Crucem, & per lateris ſui apertionem aperuit nobis portam Paradiſi.

Beata es Eccleſia fidelis, cuius refugium eſt Crux, per quam conciliatae ſunt omnes partes ſupernorum, & infernorum, & praeſidia contumacia (altiſſima), & munitiſſima per ipſam expugnata fuere, ſcilicet ſuperbia, ac Satanas quoque; & illuminavit radiis ſuis terram, & depulit tenebras erroris. Gloria Unigenito, qui ſeipſum ſupra lignum extendit, & reduxit populos errantes, eoſque illuſtravit fide veritatis.

Cum latronibus in Golgota ſuſpenderunt inſipientes Chriſtum, eique dederunt acetum, & fel, qui eſt fons dulcedinis, qui in deſerto millia ſatiavit, eoſque potavit vino ex aqua,

ܠܐ ܢܬܒܣܣܝܘܢ ܒܗܝܢ. ܘܒܫܘܠܡܗ ܕܟܬܝܒ ܐܢܐ ܗܦܟ ܠܝ. ܘܡܛܠ
ܣܓܝ ܡܡܠܠ ܠܡܬܟܬܒܘ ܡܡܢܝܢܘܬܐ ܐܬܦܓ ܠܝ : ܕܐܡܪ ܕܠܐ ܡܟܝܠ
ܒܗܘ ܕܝܢ ܡܫܝܚܐ ܘܬܫܒܘܚܬܐ ܠܥܠܡܝܢ ܀

ܡܫܝܚܐ ܢܥܕܪܢ ܠܟܠܢ ܀

ܗܘܐ ܦܓܥܐ ܟܕܒܐ ܥܡܘܕܐ ܠܡܫܬܐ ܡܡܥܪܐ ܕܐܦܪܝܡ ܕܒܠܥܘܗܝ
ܐܬܬܟܝܠ ܘܐܬܦܪܢܣ ܗܘ ܕܐܝܟ ܕܠܐ ܢܟܬܒܐ. ܟ̈ܬܒܐ ܕܠܗܘܢ ܟܠܗܝܢ
ܘܫܡܗܐ ܡܫܒܚܐ ܗܘܘ ܘܠܝܬܐ ܐܬܦܓܫ ܕܠܗܘܢ ܕܪܘܚܢܐ ܕܒܢ̈ܝܐ ܠܐ
ܡܢܝܢ ܦܪܘܩܢ ܚܕ ܘܟܬܒܘ ܠܪܘܚܐ ܡܒܠܐ ܗܘܐ : ܘܦܓܥ ܘܠܟܠܗܘܢ
ܐܬܦܪܢܣ : ܒܪ ܠܐܠܗܐ. ܘܗܘܐ ܡܫܡܫ ܕܠܗܘܢ ܡܟܬ̈ܒܢܘ ܕܟܝܬܐ ܡܢܗܘܢ
ܦܬܓ̈ܡܝܢ ܀

ܒܪܬܗ ܡܫܐ ܕܐܦܪܝܡ ܘܡܒܪܬܗ ܩ̈ܠܠܐ ܒܝܫܘܠܬܐ : ܘܠܟܠܗܘܢ
ܐܬܬܦܪܢ ܐܠܗܐ ܐܝܟ ܕܐܡܬܝ ܐܬܦܪܫ : ܘܐܝܟ ܐܡܪܐ ܠܡܫܟܢܬܐ
ܐܬܝܒܪ ܘܠܐ ܡܒܠܐ ܗܘܐ ܡܫܘܕܥ ܕܡܢܐ : ܘܕܘܪܗ ܡܢܗ ܒܫܡܟܐ ܕܕܠܐ
ܫܒܐ ܗܘ ܒܐܬܪܗ : ܡܫܝܚܐ ܠܡܬܟܬܒܘ ܕܗܢܝܢ ܚܕ ܐܟܘܬܗܘܢ
ܠܐܝܠܝܢ ܘܫܒܝܩ ܫ̈ܡܐ ܘܐܦܪܝܡ ܘܡܫܬܪܐ ܕܥܠܘ ܦܫܩ ܠܝ ܬܪܬܝܢ
ܕܦܪܘܫܘܬܐ ܀

ܦܬܓܡܝܢ ܟܕܬܐ ܡܢܗܝܡܢܘܬܐ ܘܐܬܝܕܥ ܒܫܡܐ ܒܐܦܪܝܡ ܕܒܗ
ܐܬܒܝܢ ܥܠ ܒܢ̈ܝܢ ܕܟ̈ܠܗ ܘܐܬܬ̈ܥܝܐ ܘܡ̈ܫܠܐ ܡܕܝܢ̈ܬܐ ܘܡ̈ܟܝܢܐ
ܒܗ ܐܬܒܫܡ ܗܘܐ ܡܢܬܐ ܘܡܫܝܢܐ. ܘܐܬܕܪ ܠܐܪܥܐ ܒܐܠܦ̈ܩܘܗܝ
ܪܘܪܒ ܫܡܥܐ ܕܦܓܥܘܬܐ. ܡܫܝܚܐ ܠܚܣܝܐ ܕܡܬܒܥ ܢܫܒܘܗ ܠܐ
ܫܡܐ ܘܐܦܝܢ ܠܡ̈ܬܡܢܐ ܦ̈ܓܥܐ. ܘܐܬܕܪ ܐܝܟ ܒܗܝܡܢܘܬܐ ܕܫܪܪܐ ܀

ܟܕ ܒܫ̈ܡܐ ܒܝܫܘܠܬܐ ܐܬܬܢܝܚ ܡܫ̈ܩܠܐ ܠܡܫܝܚܐ.
ܘܡܢܗ ܠܗ ܚܠܐ ܘܡܫܪܐ ܠܗܘܢ ܡܟܝܟܘܬܐ ܕܡܥܡܘܬܐ : ܠܟܠܗܘܢ
ܕܡܒܪܟ ܐܠܦ̈ܐ ܒܒܪܐ ܘܐܬܥܒܕ ܐܝܟ ܡܫܪܐ ܡܢ ܩ̈ܕܡ. ܘܟܠܗܠܠ
ܕܒܗ̈ܬܐ

ex aqua, & coronam ſpineam impoſuerunt ei, qui diademata Regibus intexit; commotus itaque fuit Gabriel, & Michael ſuum caput inclinavit, quia viderunt Filium Dei inter latrones ſuſpenſum, & elatum ſupra lignum.

Thus (10).

Summus Pontificum excelſus, & thymiama propitiationis, qui ſe ipſum ſacerdotaliter immolavit ſupra lignum pro delinquentibus, & ſe ipſum adolere fecit coram Genitore ſuo pro peccatoribus, tu, Domine, etiam nunc retribue Patri tuo pro nobis debitoribus, & placabilis eſto tu cum Patre tuo nobis irritantibus, & aufer, ac amove a nobis omnes virgas furoris, & omnes paſſiones noxias, laetifica nos omnibus laetis annunciationibus; & omnibus auxiliis ſalutaribus, expia per tuam clementiam omnes defunctos fideles, ut in ſimul gloriam inceſſabilem attollamus tibi, & Patri tuo.

Grex tuus Ieſu.

Gloria virtuti, quae portat omnia ſuo nutu abdito, & ſua voluntate a ligno crucifixionis fuit portatus.

Suſtinuit irriſionem, & opprobrium populi, neque ira excanduit, & ſua voluntate a ligno crucifixionis portatus fuit.

In hac die ſol magnus complexus eſt columnam, & incubantes umbrae eum caedunt flagellis.

Paulus ad Galat. num. 89. (11) Si autem cum quaerimus iuſtificari in Chriſto. Inventi ſumus etiam nos peccatores.

Et Evangelium Johan. num. 42. Stabat autem iuxta Crucem Ieſus mater eius, ac ſoror matris eius &c. *uſque ad illud*: & inclinavit Caput ſuum, & tradidit Spiritum ſuum.

Anti-

ܕܒܘܟ̈ܪܐ ܫܡܥܘܢ ܠܗ ܠܒܪܗ ܕܩܕܡ ܐܬܝܠܕ ܠܡܠܟܘܬܐ. ܘܟܕ ܗܘܐ
ܒܓܢܙܐܠܐ ܘܐܬܪܝ ܫܡܗ ܡܢܓܢܝܠܐ. ܘܫܠܘ ܠܒܢܝܗ ܕܐܠܗܐ ܕܒܝܬ
ܒܝ̈ܬܐ ܐܬܐ ܘܡܢܝܢ ܠܐ ܫܡܗ ܡܫܝܐ ܀

ܒܨܪܐ ܀

ܫܒ̈ܝܡܢܐ ܡܢܝܢܐ ܘܦܘܪܫܐ ܕܫܘܫܐ ܕܒܝ ܗܘ ܠܗ ܠܐ ܡܫܚܐ
ܡܠܟ ܡܫܒܠܢܐ ܘܐܒܨܪ ܦܘܡܗ ܦܬܚ ܠܫܘܒܚܗ ܒܟܠ ܫܥܬܐ:
ܐܝܟ ܡܢܝܢ ܡܘܫܐ ܗܘܐ ܦܪܘܫܐ ܠܐܟܘܬ ܚܠܦܝܢ ܚܝ̈ܠܐ ܘܪܒܐ
ܐܝܟ ܠܟ ܘܒܠܗܘܢ ܒܗܝܢ ܩ̈ܢܝܢܐ: ܘܐܒܪܗ ܕܒܟܠܐ ܡܢܝ ܠܒܠܗܘܢ
ܫܟ̈ܢܐ ܕܢܘܗܪܐ ܘܠܒܠܗܘܢ ܚ̈ܝܐ ܡܫ̈ܡܫܢܐ. ܒܗܝܢ ܠܝ ܒܒܠܗܘܢ
ܫܒ̈ܪܐ ܡܫܝܚܐ ܘܒܒܠܗܘܢ ܠܗܘܢܝܐ ܡܩ̈ܠܐܝܬܐ ܡܢ ܡܫܝܚܐ ܐܝܟ
ܒܫܝܢ ܠܒܠܗܘܢ ܟ̈ܒܝܪܐ ܡܫܡ̈ܫܢܐ: ܕܐܒܝܪܐ ܫܘܒܚܐ ܠܐ ܡܫܬܦܩܢܐ
ܢܫܦ ܠܟ ܘܠܐܒܘܟ ܀

ܒ̈ܢܝ ܫܘܐܠ ܀

ܫܘܒܚܐ ܠܚܝܠܐ ܕܢܛܪ ܟܠܐ ܒܡܪܚܡܢܘܬܗ ܒܫܡܐ. ܘܒܪܟܡܝܢܗ
ܢܛܪܗ ܫܡܝܐ ܘܐܡܘܬܐ ܀

ܫܒܒܪ ܒܝܬܐ ܘܒܢ̈ܝܐ ܕܒܫܡܐ ܘܠܐ ܐܬܒܛܠ. ܘܒܪܟܡܝܢܗ ܢܛܪܗ
ܫܡܝܐ ܘܐܡܘܬܐ ܀

ܒܗܕܐ ܡܘܟܐ ܫܒܫܐ ܕܐܢܐ ܒܟܦ ܐܫܬܘܕܝ. ܘܫܡܥܘ ܢܛ̈ܠܐ
ܘܦܪܝܫܝܢ ܠܗ ܒܩ̈ܪܒܠܐ ܀

ܦܠܘܦ ܕܠܐܐ ܒܟ̈ܬܒܐ. ܦܩܘ̈ ܀ ܐܝܟܢ ܕܝ ܒܟܠܗܝܢ ܕܝܘܘܦ
ܒܫܡܫܐ. ܐܫܬܒܚܢ ܠܟܢ ܐܦܟܝܢ ܫܘ̈ܬܐ ܀

ܐܘܪܚܠܗܘܢ ܕܫܡܝܢ ܡ̈ܟܐ ܀ ܦܫܡܝܢ ܗܘܘ ܕܝܢ ܠܟܐ ܐܫܬܦܘ
ܕܫܘܠܐ ܐܡܪܗ ܘܫܡܗ ܕܐܡܪܗ. ܘܡܪܒܐ ܠܒܝܬܐ ܠܒܘܫ. ܘܐܪܝܡ ܪܫܡܗ
ܘܐܫܬܠܡ ܪܘܚܗ ܀

ܡܫܒܚܐ

Antiphona Evangelii. Exaltate Dominum Deum noſtrum, & adorate ſcabellum pedum eius.

Diaconus proclamat.

Chriſte Deus omnium noſtrum, ille, qui voluntarie aſcendiſti Crucem, ut hominem, qui ad peccatum incurvatus fuerat, erigeres ad dignitatem ſupernam, ac divinam. Obſecramus, & rogamus te, Domine Deus exaudi nos.

Chriſte. . . . . , ille, qui ſua voluntate in Cruce appenſus eſt, ut ſpoliatione (depoſitione, denudatione) carnis ſuae denudaret Principatus, & poteſtates tenebrarum. Obſecramus, & rogamus te, Domine Deus exaudi nos.

Chriſte . . . . , qui adſcenſu ſuo in Crucem aerem quidem mundavit per extenſionem manuum ſuarum, terram autem ſanctificavit per Sanguinem ſuum, quem ſupra ipſam ſtillavit. Obſecramus.

Chriſte . . . . , qui per exaltationem ſui e terra oſtendit, quod ipſe ſit, in cuius typum antiquum Moyſes exaltavit ſerpentem in deſerto, & dixit in ſuo Evangelio, ita oportet exaltari Filium hominis. Deprecamur, & rogamus.

Chriſte . . . . Pro tranquillitate, Domine, Eccleſiae tuae, & pace Monaſteriorum tuorum, & bona cuſtodia annunciationis tuae, quae fluxit nobis abundanter ex fonte benedicto voluntatis tuae, & potat quatuor fines orbis. Obſecramus te, & rogamus.

Chriſte. Pro loco iſto, Domine noſter, oppido iſto, & omnibus habitantibus in eo oremus, ut Deus auferat ab eo per ſuam miſericordiam omnia flagella dura, famem, locuſtam, vermem, grandinem, mortem corrumpentem, & omnia illa flagella, quae propter peccata noſtra in nos immittuntur; & firmet terminos eius in fide veritatis, ac iuſtitia cunctis diebus, quibus durabit Mundus. Adoramus, & rogamus.

Chriſte.

ܦܬܓܡܐ ܘܐܘܢܓܠܝܘܢ ܀ ܪܘܡܡܘ ܠܡܪܝܐ ܐܠܗܢ ܘܣܓܘܕܘ ܠܟܘܒܫܐ ܕܪ̈ܓܠܘܗܝ ܀

ܡܫܡܫܢܐ ܡܟܪܙ ܀

ܡܫܝܚܐ ܐܠܗܐ ܕܟܠ : ܗܘ ܕܒܚܝܠܗ ܫܠܝܛ ܥܠ ܟܠܐ : ܐܡܝܢܐ ܕܒܥܕܢܐ ܕܟܠ ܣܓܝܐܐ ܐܬܒܥܝ ܠܘܬ ܒܥܠܐ ܕܚܘܒܐ ܘܥܠܠܐ ܘܐܠܘܗܝܬܐ ܡܬܟܫܦܝܢ ܘܒܥܝܢ ܡܢܟ ܡܪܝܐ ܐܠܗܐ ܥܢܝ ܠܢ ܀

ܡܪܝܐ ܀ ܗܘ ܕܐܬܐܠܨ ܒܥܕܢܐ ܒܥܠܡܘ ܐܡܝܢܐ ܕܒܥܠܡܐ ܕܒܩܘܪܘ ܢܦܪܫܐ ܠܐܪ̈ܟܢܐ ܘܠܡܫܟܠܢܐ ܕܫܘܒܚܐ : ܡܬܟܫܦܝܢ ܘܒܥܝܢ ܡܢܟ ܡܪܝܐ ܐܠܗܐ ܥܢܝ ܠܢ ܀

ܡܪܝܐ ܀ ܗܘ ܕܒܫܘܫܠܬܗ ܕܐܘܪܫܠܡ ܠܐܪܥ ܡܢ ܕܝܢ ܗܘܐ ܒܫܡܝܐ ܐܝܬܘܗܝ . ܠܐܪ̈ܥܐ ܕܡܢ ܩܕܝܡ ܒܡܝ ܕܫܠܐ ܕܡܠܝܘ ܕܒܠܚܘܕ ܢܟܦ : ܡܬܟܫܦܝܢ ܀

ܡܫܝܚܐ ܀ ܗܘ ܕܒܡܫܬܪܝܢܘܬܗ ܕܡܢ ܐܪܥܐ ܦܪܝܩܐ ܕܗܘܐ ܐܝܬܘܗܝ : ܗܘ ܕܒܬܘܦܣܗ ܦܪܩ ܐܪܥܢ ܡܫܡܫܐ ܠܟܗܢܐ ܒܡܕܒܪܐ ܘܐܡܪ ܒܫܒܪܗ ܘܗܒܐ ܒܫܡܝ ܠܡܫܬܪܝܢܘ ܒܪܘܚ ܕܐܝܬܐ . ܡܬܟܫܦܝܢ ܘܒܥܝܢ ܀

ܡܫܝܚܐ ܀ ܥܠ ܡܪܢ ܫܡܝܐ ܠܒܢܝܢ ܘܫܠܡܐ ܠܒܢܝ̈ܢ ܘܡܠܟܘܬܐ ܛܒܐ ܠܡܒܪܝܢ ܘܗܘܐ ܠܢ ܫܡܝܐ ܡܢ ܡܫܝܚܐ ܒܪܝܐ ܕܒܪܝܢ ܘܫܡܝܐ ܠܐܪ̈ܥܢܝܬܐ ܕܒܥܠܡܐ . ܡܬܟܫܦܝܢ ܘܒܥܝܢ ܀

ܡܫܝܚܐ ܀ ܥܠ ܐܬܪܐ ܗܢܐ ܡܢܢ ܘܩܪܝܬܐ ܗܕܐ ܘܒܥܠܘܗܝ ܒܬܘܪ̈ܘܗܝ ܕܠܐ ܘܠܐܠܗܐ ܕܒܪ ܡܢܗ ܒܡܪܝܡܢܘܬܗ ܕܥܠܘܗܝ ܡܪܘܬܐ ܩܫܝܬܐ : ܟܦܢܐ : ܫܒܝܐ : ܐܘܠܨܢܐ . ܒܪܘܐ . ܡܘܬܐ ܡܫܟܠܢܐ . ܘܥܠܘܗܝ ܡܫܬܐ ܗܠܝܢ ܕܡܢ ܥܠܬ ܚܛܗܝܢ ܡܬܬܪܕܝܢ ܥܠܝܢ . ܘܢܦܩ ܐܣܘܬܗ ܒܪܘܚܬܐ ܘܒܡܕܒܪܢܘܬܐ ܕܒܪܝܐ ܥܠܝܗܘܢ ܘܢܦܫܬܐ ܕܥܐܡ ܥܠܡܐ . ܫܒܝܚܢ ܘܒܥܝܢ ܀ ܡܫܝܚܐ ܀

Chriſte. Pro commemoratione (memoria) Prophetarum verorum, Apoſtolorum, Evangeliſtarum, Martyrum, & Confeſſorum, & Sanctae Mariae Virginis, quae genuit ipſum, & S. Iohannis, qui baptizavit eum, ut orationes noſtrae orationibus eorum admiſceantur, & coetum eorum benedictum promereamur in regno Caelorum. Obſecramus, & rogamus te, Domine.

Chriſte. Pro Patribus noſtris, & Principibus Patrum, Patriarchis, Metropolitis, Epiſcopis, Chorepiſcopis, Periodeutis, Hypodiaconis, & Lectoribus cum omnibus ordinibus Eccleſiae Sanctae; cum eis, & inter eos commemoremus D. *talem* Patriarcham noſtrum, & Religioſum (Epiſcopum) D. *talem*. Oremus, ut anni eorum in ſanitate multiplicentur, & greges eorum Dominicae per orationes ipſorum liberentur ab ira. Deprecamur.

Chriſte. Oremus, & precemur, dicamuſque: Parce, Domine Deus, populo tuo, & Domine noſter Ieſu Chriſte haereditati tuae; paſce eos in miſerationibus tuis, rege eos per tuam clementiam, Agnos (ſcilicet) ſimplices, & puros, quos redemiſti tua dextera per virtutem magnam Crucis tuae; & una voce trina, in qua ſibi complaceat Deitas tua, gloriam promereamur dicere ter. Rogamus.

O R A T I O.

Praeſta nobis, Chriſte Deus noſter, ut per paſſionem tuam vincamus paſſiones noſtras, & concupiſcentias etiam carnis; & per ipſam conculcemus caput Draconis intellectualis homicidae, & vincamus mortem, ac infernum, neque apprehendamur a virtutibus nequam tenebrarum, & reſurrectionem glorioſam ex mortuis cum gaudio promereamur, & ad delectationem, quae cum Sanctis tuis, provehamur, & attollemus tibi.

Gaudete Iuſti.

Vidit Eccleſia Chriſtum crucifixum, & pendentem in ligno

ܡܫܡܫܢܐ ܀ ܚܠܦ ܕܡܕܝܢܬܐ ܕܒܢ̈ܝܐ ܫܪܝܪ̈ܐ ܘܬܫܒܚܬܐ ܘܡܫܡ̈ܫܢܐ
ܘܟܗ̈ܢܐ ܘܕܝ̈ܩܘܢܐ ܘܡܕܝ̈ܢܬܐ ܡܢܗܘܢ ܒܗܝܡܢܘܬܐ ܦܫܝܛܬܐ ܕܫܒܝܚܘ
ܘܡܕܝܢ ܚܝܝܢ ܕܐܒܗ̈ܝܢ. ܐܡܝܢܐ ܕܢܛܪ ܢܛܠܦܘܢ ܒܝܘܡܗܘܢ
ܘܠܒܢ̈ܝܗܘܢ ܒܪܡܫܐ ܕܨܠܘܬܐ ܒܡܫܬܒܚܢܘܬܐ: ܡܫܡܫܢ ܘܟܗܢܝܢ
ܡܢܢ ܡܪܝܐ ܀

ܡܫܡܫܢܐ ܀ ܚܠܦ ܐܒܗ̈ܬܐ ܕܥܠܝ ܘܫܡܗ ܐܝܟܘܬܐ ܦܛܪܝܪ̈ܟܐ
ܡܛܪ̈ܦܘܠܝܛܐ ܐܦܝܣܩܘܦ̈ܐ ܟܘܪ̈ܐ ܦܪܘܛܘܣܛܐ ܘܗܘܦܕܝ̈ܩܢܐ
ܘܦܪ̈ܐ ܚܕ ܟܠܗܘܢ ܐܬܪ̈ܘܬܐ ܕܒܬܐ ܦܫܝܛܬܐ. ܢܛܪ ܠܟܠܗܘܢ
ܘܚܝܠܗܘܢ ܠܡܪܢ ܥܠ ܦܛܪܝܪܟܐ ܕܝܠܢ ܘܠܝܫܘܥ ܡܪܢ ܥܠ
ܕܠܐ ܕܫܡ̈ܝܗܘܢ ܒܟܠܫܥܬܐ ܢܫܟܚܢ ܘܡܪܚܡܬܗܘܢ ܡܢ ܪ̈ܘܚܬܐ
ܒܗ ܕܠܐܬܪ̈ܗܘܢ ܢܦܪܘܩ ܡܢ ܦܘܓܥܐ. ܡܫܡܫܢܝܢ ܀

ܡܫܡܫܢܐ ܀ ܕܠܐ ܘܢܒܥܐ ܘܢܐܡܪ ܕܫܘܒ ܡܪܝܐ ܠܐܠܗܐ ܠܐ
ܠܡܢ. ܘܡܢ ܚܘܠ ܡܫܝܚܐ ܠܐ ܢܐܬܐ. ܦܪܘܩ ܐܢܝܢ ܒܪܚܡܝܟ
ܘܒܪ ܐܢܝ ܒܚܝܢ ܠܐܡܪ̈ܐ ܒܪ̈ܡܫܐ ܘܐܬܡ̈ܠܐ ܕܦܪܘܩ ܒܡܫܝܚܐ ܒܚܝܠܐ
ܦܪܐ ܕܠܡܝܢ ܘܒܚܝ ܦܠܐܠܗܬܐ ܕܒܗ ܡܫܬܒܚܐ ܠܐܠܗܘܬܐ:
ܠܡܫܝܚܐ ܕܒܗܘ ܕܐܬܒܪ ܠܐܠܗ ܐܒܗܝܢ. ܒܟܠܝܢ ܀

ܕܠܘܬܐ ܀

ܐܡܘ ܠܟܢ ܡܫܝܚܐ ܠܐܠܗܝ ܕܒܟܝ ܚܝܢ ܕܢܬܒܐ ܠܚܛܝܢ
ܐܘ ܠܪܚܡ̈ܝܗܘ ܕܡܫܪܐ. ܘܒܗܘ ܕܢܦܩ ܠܐ ܦܪܘܩ ܕܐܬܠܝܐ
ܡܬܝܕܥܐ ܦܘܠܐ ܒܒܝ̈ܬܐ ܘܕܝܠܐ ܠܡܘܬܐ ܘܠܡܫܝܚܐ ܘܠܐ ܢܬܠܟܝܢ
ܡܢ ܚܝܠܘܬܐ ܒܝ̈ܬܐ ܘܫܘܒܐ ܘܠܡܫܡܫܬܐ ܡܫܝܚܬܐ ܘܡܢ ܒܝܬ ܡܪ̈ܝܬܐ
ܒܚܝܘܬܐ ܕܢܦܫܐ. ܐܘ ܠܡܫܡܫܢܐ ܕܟܠܝ ܦܪܘܩܝܢ. ܘܢܣܒ ܠܟܝ ܀

ܚܝܘ ܙܘܝ̈ܓܐ ܀

ܚܝܠܘ ܒܬܐ ܠܡܫܡܫܢܐ ܕܐܦܝܩ. ܘܐܬܐ ܠܐ ܦܫܝܐ ܒܪܘܚ
ܦܘܠܓܬܐ

ligno in ſummitate Calvariae, & aperuit os ſuum, ac ſuſcepit corpus eius vivum, ut eſſet ipſi in remiſſionem debitorum, alleluia, & ad veniam.

Accede Eccleſia, procide, & adora ipſum ſignum vivum Crucis eius Sponſi, qui te deſpondit, & vocem laudis profer ad illum, qui ſuo amore crucifixus eſt in eo propter te, alleluia, & ſanguine proprio te redemit.

Crucem tuam, Fili Dei, adorat Eccleſia, per quam redempta eſt ab errore, & facta eſt ſponſa glorioſa, & Filii eius in medio ipſius canunt gloriam humiliationi tuae, alleluia, quae propter ipſos.

In occaſu (paraſceve, feria ſexta) convenit Synagoga impiorum, & eduxerunt, crucifixerunt Chriſtum; vidit autem eum ſol in firmamento, & induit tenebras, eo quod Dominus ipſius contumeliis petitus fuerit, alleluia, ab iniquis.

Sacerdos accipit Crucem, & cum ea ter circuit per Eccleſiam, una cum Diaconis, & dicunt cantum ſimplicem (12).

Alleluia. In ligno tradidit animam ſuam Filius Dei, & dedit Spiritum ſuum in manus Patris ſui, ille Dominus ſaeculorum; & ſepulchra aperta ſunt, ac ſaxa ſciſſa ſunt, ſtuporque tenuit omnes creaturas; & lancea aperuerunt latus Creatoris omnium, & fluxerunt ex eo Sanguis, & aqua expiatio ſaeculi.

Supra lignum Crucis vidit Eccleſia illum ſolem iuſtitiae, qui illuminat mundum. Vidit plagas eius, & valde contriſtata eſt, clavos in manibus eius, & lanceam in latere eius, & acceſſit ad eum, & adoravit eum, & ita dixit ei: Ego, & filii mei adoramus te, qui propter nos mortuus es.

Dixit Dominus noſter Matri ſuae, & Eccleſiae ſponſae ſuae; venite, videte, quid mihi contigerit in domo diligentium me (amicorum meorum), nam domeſtici Abrahami ſupra lignum ſuſpenderunt me, & domeſtici Iacob genas meas per-

ܥܘܠܬܐ ܘܦܫܝܛ ܦܘܫܩܗ ܘܡܥܒܕܢܘܬܗ ܠܦܢܝܪܘ ܚܠܐ ܕܒܗܘܐ ܠܗ
ܠܡܫܡܫ ܫ̈ܡܝܐ. ܗ. ܘܠܡܫܡܫܢܐ ܀

ܡܪܘܒܝ ܚܒܬܐ ܕܪܘܒܝ ܘܡܗܦܟ ܠܗ ܠܒܢܝ̈ܐ ܚܝܐ ܕܐܠܗܘܬܐ
ܘܫܬܝܐ ܡܥܡܪܢܘܗܝ. ܘܡܥܒܕ ܩ̈ܠܐ ܠܡܫܡܫܢܐ ܠܗܘ ܕܫܘܥܒܕܗ
ܐܬܓ̈ܠܝ ܒܠܒܘܗܝ ܡܫܠܛܢܝ: ܗ. ܘܦܪܘܩܢ ܒܝܬܗ ܀

ܠܓܡܢܝܢ ܒܪ ܐܠܗܐ ܦܫܝܛܐ ܚܒܬܐ ܕܒܗ ܐܬܦܪܘܩ ܡܢ ܫܘܥܒܕܝ
„ vis in Cruce pro ſalute eius. Et foedum ſputum ſuſcepit
„ vultus tuus a crucifixoribus, & lancea tuum latus aperuit,
„ ut eum vivificares, & vitam novam per ſanguinem, &
„ aquam, quae e latere tuo fluxerunt, obtinuit, ac renova-

 „ tus

„ quis vero illa omnia ipſi tribue-
„ rit, quae Unigenito Deo conve-
„ niunt, plus ab eo accipiet, quam
„ ſperabat. Amator hominum eſt
„ Sanctus Dei Spiritus, juxta Sa-
„ pientiam ſic inquientem: *Ama-*
„ *tor enim hominum* (ſeu *benignus in*
„ *humanum genus*) *eſt Spiritus Sapien-*
„ *tiae, & non liberabit iuſtum*: nec
„ enim perditam humanam natu-
„ ram neglexit, ſed per ſemeti-
„ pſum venit, dirigens nos in via,
„ & omnem veritatem docens, &
„ renovans nos, & divina nobis
„ dona largiens, tantamque e ſu-
„ pernis ſedibus curam eius, qui
„ ad imaginem Dei factus eſt, ſu-
„ ſcepit, ut hanc quoque denomi-
„ nationem, veluti notam atque
„ indicium eximiae ſuae bonitatis,
„ habeat. Nam magna quidem
„ elementa ſunt caelum, terra, ma-
„ re, magna quoque eſt rationalis
„ creatura Angelorum, & cuiuſli-
„ bet ſupermundanae Poteſtatis:
„ ſed a nulla harum creaturarum
„ nomen ſumere voluit Trinitas;
„ cum e contrario ex ea bonitate,
„ qua hominem proſequitur, φιλάν-
„ θρωπος, hoc eſt, amatrix homi-
„ num, ſeu benigna in homines
„ vocetur „. Hinc ἡ μονὴ φιλανθρώπου
monaſterium Philanthropi, ſive Salva-
toris, memoratur in Typtico, ſeu
Regula Irenes Auguſtae coniugis
Alexii Comneni, quam ſanctimo-
nialibus a ſe inſtitutis praeſcripſit,
quaeque habetur in Cod. membr.
Bibliothecae regiae Pariſ. n. 3019.
Vid. *Montfauconium Palaeograph. Graec.*
lib. IV. cap. 6. pag. 300.

„ tus eſt. Nunc etiam, o Domine, in hac eadem die occa-
„ ſus paſſionis tuae ſalutaris, & commemorationis Crucis
„ tuae vivificae, ſupplicat Eccleſia tua per os filiorum ſuo-
„ rum, & in pietatem commota deprecatur coram te cum
„ ſuffitu hoc ſuavitatum, ut quemadmodum amaſti, & crea-
„ ſti a principio, & ſalvaſti, ac vivificaſti in fine, viſites etiam
„ nunc in miſericordia totum figmentum tuum, & totum or-
„ bem habitabilem per tuam Crucem pace dones, & quiete:
„ per Crucem tuam tranſire fac iram; per Crucem tuam ex-
„ tingue bella; per Crucem tuam averte certamina; per Cru-
„ cem tuam averte vindictas; per Crucem tuam turbatos
„ ſerenos redde; per Crucem tuam iracundos paca; per
„ Crucem tuam humilia ſuperbiam; per Crucem tuam de-
„ prime arrogantiam; per Crucem tuam inimicitias aufer;
„ per Crucem tuam compeſce furorem; per Crucem tuam
„ frena impetum nequitiae; per Crucem tuam firma Eccle-
„ ſias tuas; per Crucem tuam confirma Monaſteria tua; per
„ Crucem tuam munda Sacerdotes tuos; per Crucem tuam
„ illumina Miniſtros; per Crucem tuam ſuſtenta ſenes; per
„ Crucem tuam doma impetum iuvenum; per Crucem tuam
„ nutri pueros; per Crucem tuam expia peccatores; per Cru-
„ cem tuam parce delinquentibus; per Crucem tuam vivifica
„ convenienter totum gregem tuum, qui modo coram ea te
„ adorat, & paſſiones tuas honorat, & vulnera tua comple-
„ ctitur, ac percuſſiones tuas amplectitur, & oſculatur cica-
„ trices tuas [*vulnera tua*], & in ipſa Cruce tua gloriatur,
„ gaudet, & exſultat, & ſalva nos, ac totum populum tuum
„ perfecte, & perfice erga nos promiſſionem tuam, & viſita
„ nos plene in ſalutari tuo, ut renovetur plaſma noſtrum a
„ corruptione ſua, & componatur imago noſtra a ſuo pul-
„ vere, & conſolatio tua diſpellat anguſtiam e cordibus mae-
„ ſtorum, & abſtergatur lacrima ex oculis lugentium per
„ ſpem tuarum conſolationum, & induat corpus noſtrum
„ laudem tuam, & ſtola lucis tuae reſplendeat corpus no-
„ ſtrum, & promereamur pervenire revelata facie ad reſur-

„ re-

„ rectionem tuam laudabilem, & ſimus diſcumbentes in thalamo ſuo, & convivae in ſympoſio tuo, & heredes in regno tuo ſempiterno, & ibi inceſſanter attollamus. *Cantus.* In ligno (*ut in noſtro textu pag.* XVIII., *cui hymno ſubditur in Codice Aldoenſi ſequens oratio thuris*).

Thus.

„ Adoramus te, qui orbem ſuffitu tuorum odoramentorum ſuaviter perfundis, quia Crux tua fuit thus ſpirituale, & eius ſuffitu iucundo Patrem tuum reconciliaſti cum creaturis, fuit enim Sanguis tuus loco ignis, & caritas tua loco aromatum, & per Pontificatum humanitatis tuae obtuliſti Genitori tuo thus Crucis tuae; ſuſcipe etiam nunc e manibus noſtris infirmis thus hoc, quod coram te offerimus, & concede per ipſum expiationem, ac remiſſionem toti gregi tuo, & per ipſum da quietem, & memoriam fac bonam omnibus defunctis fidelibus, nunc.

(13)

Triſhagii formula, quae in hoc Ordine adhibetur, omnino orthodoxa eſt. Hac uſi ſunt etiam Armeni poſt initam cum Romana Eccleſia concordiam anno CIↃCCCVII. in Siſenſi Concilio, ut refert Chriſtianus Lupus (*a*). Id ergo ſancitum in eo fuit, ut Triſhagius SANCTVS DEVS, SANCTVS FORTIS, SANCTVS ET IMMORTALIS, *cui additum hoc loco fuerat* QVI CRVCIFIXVS ES PRO NOBIS MISERERE NOSTRI, *directus in Filium ſic deinceps cantaretur*: SANCTVS DEVS, SANCTVS FORTIS, SANCTVS

(*a*) Ad *Can. Trullan.* LXXXI. pag. 1031. *Quoniam* (verba ſunt canonis) *in nonnullis locis didicimus in hymno, quo ter Sanctus canitur, additamenti loco dici poſt illud*: SANCTVS IMMORTALIS, *hoc*, QVI CRVCIFIXVS ES PRO NOBIS MISERERE NOSTRI: *Id autem ab antiquis ſanctis Patribus, ut a pietate alienum, ex hoc hymno eiectum eſt cum ſcelerato haeretico, qui hanc vocem innovavit. Nos quoque confirmantes ea, quae a noſtris ſanctis Patribus prius pie conſtituta ſunt, anathematizamus eos, qui poſt praeſens decretum eiuſmodi vocem admittunt in Eccleſiis, vel aliquo alio modo, ſanctiſſimo hymno adiungunt. Et ſi eſt quidem ſacerdotalis ordinis, qui tranſgreſſus eſt, eum ſacerdotali dignitate privari iubemus; ſin autem laicus, vel monachus, ſegregari.*

CTVS ET IMMORTALIS, CHRISTE QVI CRVCIFIXVS ES PRO NOBIS MISERERE NOSTRI. Graeci quatuor hymnos diſtinguunt, Angelicum, Cherubicum, Triſhagium, & Triumphalem, de quibus fuſe agit Goarius ad Euchologium, qui tamen prudenter adnotat non eſſe hanc diſtinctionem adeo conſtantem penes eccleſiaſticos ſcriptores, ut quandoque uni hymno alterius nomen tributum non habeatur. Hinc Triumphalis vetuſtiſſimus hymnus, cuius eſt haec formula: SANCTVS, SANCTVS, SANCTVS DOMINVS DEVS SABAOTH: PLENI SVNT CAELI, ET TERRA GLORIA EIVS: BENEDICTVS IN SAECVLA. AMEN; quemadmodum nempe in Apoſtolicis Conſtitutionibus III. vel IV. Eccleſiae ſaeculo collectis cernere licet (*a*), Triſhagius quoque dictus reperitur, licet Triſhagius is proprie ſit, qui in actione I. Concilii Chalcedonenſis, quod an. CCCCLI. adverſus Eutychem, & Dioſcorum unicam in Chriſto agnoſcentes naturam celebratum eſt, uſurpatum habetur his verbis (*b*): SANCTVS DEVS, SANCTVS FORTIS, SANCTVS IMMORTALIS MISERERE NOBIS. Hac ipſa formula utebantur orthodoxi ad ſuam erga ſanctiſſimam Triadem fidem exprimendam, cum Petrus Cnapheus, ſive Fullo, Eutychianorum peſſimus, ut Theopaſchitarum, qui erant Apollinariſtarum ſurculus, haereſi faveret (quae in eo erat, ut in Cruce divinam ipſam naturam paſsam blaſphemarent (*c*), hanc clauſulam in Eccleſia Antiochena, quam uſurpaverat, addi-

(*a*) Lib. VIII. cap. 12. pag. 406. Tom. I. edit. Cotelerii Amſtelodami 1724.

(*b*) Tom. IV. *Concil. Labb.* p. 1191. Venetiis 1728.

(*c*) Ab Apollinariſtis Theopaſchianorum haereſis primum profecta, nam ut ex Theodoreti dialogo, qui *Impaſſibilis* inſcribitur, conſtat, tempore Apollinaris, & Euſebii Emiſſeni is error ſpargi coepit. Imo & ipſum Apollinarem, *unigenitum Deum ... mortalem eſſe ... atque in triduana illa corporis morte divinitatem quoque ſimul cum corpore mortuam*, docuiſſe, auctor eſt Nazianzenus Orat. XLVI. Tom. I. *Oper.* p. 641. Venetiis 1753. Deinde eadem haereſis ab Euthychianis robur maius accepit, maxime a Petro Cnapheo, quem tamen male quidam Theopaſchitarum auctorem faciunt: nam non aliud Petrus novavit, quam quod ſub ſpecie Neſtoriani erroris eliminandi, qui duas in Chriſto perſonas admit-

additam voluit : QVI CRVCIFIXVS ES PRO NOBIS, qua ſcilicet Deo Trino, ad quem Triſhagius referebatur, paſsionem tribuebat. Pulſo in exſilium Cnapheo, Calendius in Antiochenam cathedram ſuffectus, ut huic malo proſpiceret, Cnaphei additamento praepoſuit haec duo verba CHRISTE REX (*a*), hacque ratione huiuſmodi precationem ad rectam fidei amuſsim exegit; atque error ipſe ceſſaſſet, niſi Cnapheus ab exſilio reverſus, & Antiochenam ſedem rurſus invadens verba CHRISTE REX abſtuliſſet, ut idem error conſtaret. Dein vero CPoli Anaſtaſius Imp., & Timotheus Epiſcopus conati ſunt additamentum Cnaphei in Triſhagium inferre, ſed, reclamantibus orthodoxis, nequicquam rem tentarunt, ut ex Marcellino Comite (*b*) diſcimus. Hinc Cyrillus Scythopolitanus in vita S. Sa-

mittebat, atque in Apollinariſtarum gratiam, & eius firmitatem erroris impium additamentum Triſhagio affixerit. Quam interpolationem Iacobitae Syri, Armenique admiſere, qui proinde Theopaſchitae etiam audiere.

(*a*) Theophanes in *Chronico de Calendione*. Vide inſuper Theodor. Lect. lib. II., & Cedrenum an. XVI. Zenonis.

(*b*) In *Chronico* apud Sirmondium Tom. II *Oper* pag. 374. *Ind. V. Paullo*, & *Muſciano Coſs.* [ann. DXII.] „ Saepe caelum a ſeptentrionali „ plaga ardere viſum eſt. Die „ dominico, dum iubente Anaſta- „ ſio Caeſare, per Marinum, per- „ que Platonem in eccleſiae pul- „ pito conſiſtentes, in hymnum „ Trinitatis Deipaſſianorum qua- „ ternitas additur, multi ortho- „ doxorum priſtina voce pſallen- „ tes, perfidoſque praecones cla- „ moribus obiurgantes, in eiuſ- „ dem eccleſiae gremio caeſi ſunt, „ ductique in carceres perierunt. „ Altera nihilominus die in atrio „ ſancti Theodori maioris caede „ Catholici pro fide unica perculſi „ ſunt. Quapropter commota „ orthodoxorum agmina die ſe- „ quenti, ideſt VIII. idus novemb. „ (in quo die memoria cineris du- „ dum totam Europam tegentis „ apud Byzantios celebratur) in „ forum Conſtantini undique con- „ fluunt: quorum alii quidem ce- „ teris die, noctuque hymnum „ Trinitatis Chriſto Deo pſallen- „ tibus, totam peragrant civita- „ tem, & Anaſtaſii Caeſaris mo- „ naſtico habitu adſentatores fer- „ ro flammiſque interimunt: alii „ claves portarum, omniaque ſi- „ gna militaria ad forum, quo re- „ ligionis caſtra metati fuerant, „ deferunt; ibique Anaſtaſio Caeſa- „ re in proceſſibus degente, Areo- „ bindam ſibi Imperatorem fieri „ cla-

S. Sabae teſtatur, Armenis, qui in eiuſdem S. Sabae Laura in Palaeſtina cum Graecis monachis verſabantur, permiſſum fuiſſe, ut pſalmodiam, & liturgiam Armenico ſermone peragerent, aſt Trishagium Graeca lingua canerent, ne Fullonis additamentum uſurparent. Accipe teſtimonium (*a*): *Magna itaque Eccleſia aedificata, omnique ornatu decorata, in Lauram deſcendit praedictus Elias Archiepiſcopus, tum eam dedicavit, tum in eadem ſanctificatum defixit altare, menſe iulii, primo die, nona indictione, agente magno Saba annum aetatis ſexageſimum tertium. Tunc ergo Armenios a parvo oratorio tranſtulit, ut Pſalmodiae regulam dialecto Armeniorum in Eccleſia a Deo conſtructa exſequerentur, mandavitque iis, Megalium, ſeu Evangelium, & reliquam officii ſeriem in ſynaxibus Armenica lingua oblationis, cum Helleniſtariis, hoc eſt iis, qui Graeca lingua utebantur, convenire, ac divina ſumere ſacramenta. Quoniam vero eorum nonnulli aggreſſi fuerant ter ſanctum hymnum, ſeu Trishagium, dicere, cum illo additamento per Petrum cognomento Cnapheum, aut Fullonem excogitato: Qui crucifixus es pro nobis; ſuccenſus merito divinus ſenex, iuſſit ut hunc hymnum ipſi graece canerent, iuxta antiquam Catholicae Eccleſiae traditionem, non autem ſecundum dicti Petri innovationem, qui Petrus cum Eutyche eadem ſenſit, & bis tyrannico modo ſedem Antiochenam invaſit, atque Eccleſiaſticis ſanctionibus expulſus eſt &c.* Ceterum Ephraem Antiochenus Epiſcopus epiſtola ad Zenobium Scholaſticum ſcripta apud Photium (*b*) Orientales defendere contendit ab omni erroris nota, qui

„ clamitant. Imaginibus deinde,
„ ſtatuiſque Anaſtaſii in terram
„ deiectis, Celerem, & Patricium
„ Senatores, ad ſe ſupplicandi ſibi,
„ vel ſatisfaciendi gratia miſſos,
„ iactis pluviae inſtar lapidibus re-
„ pulerunt. Domibus Marini, &
„ Pompei ſuccenſis, in circum ad
„ Anaſtaſium venientes, & ante
„ ſuum ſolium conſiſtentes, hy-
„ mnum Trinitatis iuxta morem
„ catholicorum concinnentes, co-
„ ruſcanſque Evangelium, Cru-
„ cemque Chriſti ferentes, e foro
„ plurimi convenerunt, Marinum,
„ Platonemque pravitatis eius au-
„ tores feris ſubiici conclaman-
„ tes &c.

(*a*) Cap. XXXII. vit. S. Sabae ap. Ioh. Bapt. Cotelerium Tom. III. *Eccleſ. Graecae monum.* pag 264. Pariſiis 1686.

(*b*) *Biblioth.* Cod. CCXXVIII. pag. 774. Rothomagi 1653.

qui nempe Cnaphei additamentum QVI CRVCIFIXVS ES PRO NOBIS, ut & Trishagium ipſum ad Chriſtum ab eis referri propugnat, eoſque proinde omni erroris labe vacare aſſerit. Aſt, cum S.Ioh.Damaſcenus(*a*), qui floruit an. circiter DCCXXX., nobis ingerat Trishagium ad DeumTrinum, non vero ad Filium dumtaxat relatum fuiſſe, Ephraem excuſatio parum firma cuique videbitur, cum praeſertim certum exploratumque ſit additamenti auctorem Cnapheum non ad Filium, ſed ad Deum, quem paſſum cum Theopaſchitis contendebat, reſpexiſſe. Hinc factum eſt, ut nonnullae Occidentales Eccleſiae, quo ſe ab hac quaeſtione expedirent, omni ſublato additamento, id ſolum poſt Trishagium ſubderent: SANCTA TRINITAS MISERERE NOBIS. Si quis cognoſcere velit Concilia, aliaque examina, quae hac de re habita ſunt, conſulat Henrici Valeſii tractatum *de Petro Antiocheno Epiſcopo, qui Fullo cognominatus eſt, & de Synodis adverſus eum collectis* (*b*); dum nos adnotationem noſtram claudemus ea, quam doctiſſimus Iacobus Sirmondius appoſuit ad Alcimi Aviti Epiſcopi Viennenſis ad Gundobadum Regem Burgundionum in Gallia epiſtolam (*c*): *Quamquam haec, inquam, ita ſe habeant, inficiandum tamen non videtur, in Cnaphei additione, ſi pravum eius conſilium demas, incommodi nihil futurum, ita nimirum, ut poſt Trinitatis laudationem, converſo ad Filium ſermone, his illi verbis ſupplicetur*, Qui crucifixus es pro nobis, miſerere nobis. *Quod & Calendionem Epiſcopum ſenſiſſe manife-*

H ſtum-

(*a*) *De orthodox. fid.* lib. III. c. 10. Tom. I. *Oper.* p. 218. Pariſiis 1712. *Nos quippe illud* Sanctus Deus, *de Patre accipimus, non quod ipſi ſoli divinitatis aſſignemus nomen. Nam & Filium, & Spiritum Sanctum Deum agnoſcimus.* *Itidem illud*, Sanctus Fortis, *Filio tribuimus: non quod Patrem & Spiritum Sanctum virtute ſpoliemus. Ac denique illud*, Sanctus Immortalis, *Spiritui Sancto adſcribimus: non ut Patrem & Filium ab immortalitate excludamus, ſed ut in unaquaque perſona omnia divina nomina ſimpliciter, & abſolute ſumamus.*

(*b*) Exſtat poſt adnotationes eiuſdem Valeſii in *Hiſtor. Eccleſiaſt.* Theodoreti, Evagrii, Philoſtorgii, & Theodori Lectoris pag. 553 & ſeqq. Auguſtae Taurinorum 1748.

(*c*) Tom. II. *Oper.* Sirmondii pag. 19. Pariſiis *1696.*

ſtum eſt, *quando Cnaphei additioni* τὸ Χρίστε βασιλεῦ *praemiſit*, *&* *ab Eccleſiae uſu non abhorrere agnoſcit Damaſcenus*, *cum poſt Trinitatis doxologiam*, *quae his verbis continetur* „ Gloria Patri, & Filio, & Spiritui Sancto, *ſubiungi ſaepe ſoleat*, τῷ σταυρωθέντι βουλήσει, καὶ ἐκ νεκρῶν ἀναστάντι „ ei qui voluntate crucifixus eſt, „ & qui reſurrexit a mortuis „ *quae ad Filium proprie ſpectant*. Triſhagius tandem, at nullo cum additamento, canitur etiam hodie in Romana Eccleſia, dum ſacra caerimonia adorationis Crucis perſolvitur. Qui quidem, ſi primum in ſacris rebus inſertus fuerat, ut in honorem Sanctiſſimae Trinitatis cederet, nunc vero, cum eo temporis recitetur, quo Crux veneratur, ad Deum Verbum, unum de Trinitate, paſſum carne referri perſpicuum eſt.

(14)

In Rituali Stephani Aldoenſis: *Accedunt*, *&* *adorant Sacerdotes in primis*, *poſtea Miniſtri*. *Et laici*, *ac mulieres coram Cruce*, *quin eam oſculentur*. *Et Sacerdotes dicunt ſtrophas paſſionis*.

(15)

Adamum feria VI. peccaſſe, emiſſumque de paradiſo voluptatis, nonnulli veteres Patres ſcripſerunt. Porro haec opinio adeo apud Syros obtinuit, ut eorum celeberrimus Edeſſenae Eccleſiae diaconus S. Ephraem, qui obiit circa annum CCCLXXVIII., in ſermone *de Chriſti paſſione*, *&* *reſurrectione* id apertiſſime adſerere non dubitaverit (*a*): *Menſe Aprili*, inquit, *Dominus Adami debitum ſolvit*; *Aprili ſudorem pro fruſtraneo ipſius Adae ſudore effudit*; *Crucem pertulit*, *ut per arborem eriperet*, *qui per arborem ceciderat*. *Agnus feria ſexta immolatus occubuit*, *quia videlicet hac ipſa die Adam peccavit*, *eademque die latro oblatam ſibi beatitudinem excepit*. *Menſem*, *in quo Adam praevaricatus eſt*, *aprilem fuiſſe probabile eſt*; *nam quum dies diei aptiſſime quadret*, *nihil obſtat*, *quo minus menſem itidem menſi viciſſim reſpondere exiſtimemus*.

Sequi-

(*a*) Tom. III. *Oper*. *Syr*. *Lat*. pag. 604. Romae 1743.

Sequitur in noſtro Ordine *Precatio S. Iacobi*. Syris frequens eſt haec precationis formula in omnibus fere officiis, diverſis tamen ſententiis pro opportunitate exarata, uti videre eſt in ſacris ipſorum libris. Precationes vero praenotantur nomine *Mari*, ſcilicet *Domini mei*, vel *Sancti mei*, Iacobi, Ephraem, Balaei, quia ab his compoſitae fuerunt, vel quia ad metri rationem, qua iſti delectati ſunt, exactae ſunt. Scimus enim S. Ephraem heptaſyllabo, Iacobum forte Serugenſem tetraſyllabo ter repetito, ſeu dodecaſyllabo uſos frequenter fuiſſe, uti Narſetem hexaſyllabo, & Balaeum Ephraem diſcipulum heptaſyllabo. Tandem precationibus Syri praemittunt quaſdam ſtrophas, ut in noſtro Ordine, *Domine noſter miſerere nobis*, quae in libro pro directione tironum continentur, & ex memoria recitari ſolent, ſive indicentur ante precationem, ſive non indicentur. Ceterum ſi Iacobo Serugenſi Epiſcopo vel ipſae tribuendae ſint precationes, vel metri tantummodo ratio habeatur, τὸ *Mari* non pro *Sancti* nomenclatura, ſed pro *Domini mei* intelligendum erit, cum quaeſtio adhuc ſit penes doctos de eius orthodoxia, licet Cl. Ioſephus Simonius Aſſemanius eam totis viribus defendere conetur (*a*), cum rationum momenta, quae urget, non tanti eſse videantur, ut Serugenſem ab omni haereſeos nota abſolvant. Euſebius Renaudotius (*b*) vir doctiſſimus haereticum Monophyſitam ſtatuit, & licet Aſſemanius hoc errore vacaſſe putet, tamen duo, quae ipſe refert, teſtimonia multum quidem negotium nobis facere videntur. Primum quidem pertinet ad Dionyſium Patriarcham Iacobitarum, quem Aſſemanius (*c*) auctorem probatum, accuratumque dicit. Iacobus ergo, quem diximus, *ſanctus* a Dionyſio nuncupatur (*d*), atque inſuper ab eo additur, Iacobum a communione cum Paullo Patriarcha Antiocheno refugiſſe, quod duas in Chriſto naturas profiteretur. Alterum auctorem habet Gregorium

 Bar-

(*a*) Tom. I *Bibl Orien.* pag. 286. & ſeqq., & Tom II. p 321. & ſeqq.
(*b*) Tom. II. *Liturg. Orient.* pag. 362. 381., & alibi. Pariſiis 1716.
(*c*) *Bibl. Orient.* Tom. I. p. 299.
(*d*) Ibid. pag. 298.

Bar-Hebraeum, qui vocatur ab Aſſemanio (*a*) *Iacobitarum ſcriptor facile princeps*, quique in ſanctorum albo Iacobum Serugenſem recenſet, tantiſque laudibus proſequitur, ut has nunc referre dumtaxat ſufficiat. *Eximios porro*, *& dogmatibus verae doctrinae refertos tractatus*, *& ſermones compoſuit*. *Praeclara quoque eius doctrinae effigies a S. Severo Patriarcha Antiocheno* [hic nempe anteſignanus fuit Monophyſitarum] *approbata fuit*, *& ipſe ab eodem receptus*, *& laudatus eſt*. Quare ab iis, quae narrat ſcriptor uterque, in Iacobum Serugenſem egregie animatus, id arguere licet, ipſos eumdem Monophyſitarum errore imbutum cenſuiſſe, qui ſane univerſam Meſopotamiam Aſiae, & Syriam longe, lateque pervaſerat, nec niſi in Meſopotamia ipſa Serugenſis civitas continebatur, quae diei ſpatio ab Edeſſa diſtabat. Robur ſuſpicioni accedet, ſi Iacobi Serugenſis ſententias, quae in eius ſcriptis apud Aſſemanium (*b*) ſuperſunt, accurate perpendere quis velit. Ceterum latet, quo tempore revera Iacobus hic floruerit, ſiquidem hac de re ſcriptores in diverſa abeant, putante Aſſemanio inauguratum fuiſſe Serugenſem Epiſcopum anno IↃXIX., & Fauſto Naironio (*c*) contendente, ipſum circa VII. Eccleſiae ſaeculum vitam duxiſſe.

(16)

Sertum ſpineum in praetorio per ludibrium impoſitum capiti Salvatoris noſtri I. C. ex rhamno contextum opinantur Syri. Rhamnus vero eſt *ſpecies inter ſpinas* (uti adnotat Gregorius Nyſſenus ad illa Pſalmi LVII. verba: *Priuſquam intelligerent ſpinae veſtrae rhamnum*) *omnium difficillima* . . . . ., *cuius acutae ſunt cuſpides*, *continuae prominentiae*, *& eos qui accedunt propius laedentes*; *venenoſae autem lacerationes*. Alii e iuncis marinis volunt, aut ex frutice alius generis ſpinarum. Cl. Ioſephus Averanius in libro, cui titulum fecit: *Lezioni ſopra la Paſſione di noſtro Signore G. C.* (*d*), ſententiam illorum, qui e rha-

(*a*) Ibid Tom. II. pag. 244.
(*b*) Ibid. Tom. I. pag. 295. 297.
(*c*) *Evoplia fidei Catholicae Romanae* pag. 48. Romae 1694.
(*d*) Pag. 75. e ſegg. Urbino 1738.

rhamno fuiſſe ſcripſerunt, multa eruditione conſectatus eſt. Vide quae *de corona ſpinea* ſcripſit Thomas Bartolinius in libello *de Cruce Chriſti* edito Amſtelodami 1670., tum quae in peculiari Diſſ. *de ſpinis coronae Chriſti ad Matth.* XXVII. 29. congeſsit M. Iohannes Ern. Mullerus (*a*). An vero ſpinea corona capiti impoſita Dominus noſter, ac redemptor Chriſtus Cruci fuerit affixus, vel ſecus, quemadmodum in antiquioribus imaginibus exhibetur, aliis diſputandum relinquimus, cum nihil certi ex Evangeliſtis, qui aut oculares ipſi teſtes fuerunt, aut eadem aetate floruerunt, erui poſſit.

(17)

Expergiſcere, & ſurge Elceſaee, nempe Propheta Nahum, cuius natale ſolum erat Elceſi Galilaeae vicus temporibus S.Hieronymi iam everſus(*b*). Poſt aliquot verſiculos ſequitur in noſtro Ordine *Propheta filius Buzi*, qui alius non eſt quam Ezechiel filius Buzi ſacerdotis. Tandem ad pag. XXX. memoratur Propheta duorum mortuorum ſuſcitator, Eliſeus videlicet, qui vivens ſuſcitavit filium magnae mulieris civitatis Sunae (*c*), mortuus autem ad contactum eius corporis revixit hominis cadaver proiectum in Prophetae ſepulcrum (*d*), unde in libro Eccleſiaſtici illud de Eliſeo encomium exſtat (*e*): *Mortuum prophetavit corpus eius*.

(18)

Plura ſane a nobis ſubnotanda fuiſſent, ſi ſingulas huius Cantici reiterationes, quibus invitantur, & excitantur Patriarchae, & Prophetae, ceterique antiqui foederis Patres ad acerbiſſimam Chriſti amatoris noſtri paſſionem contemplandam, heic nunc inluſtrare eſſet animus. Quare in eo tantum erimus, ut pauca adnotemus in verſiculum, qui ad pag. XXX. habe-

(*a*) Vid. *Theſaur. Theolog. Philolog., ſive Syllog. Diſſert. elegantior., ad ſelectior., & illuſtrior. novi Teſtam. loca* Tom. II. pag. 230. Amſtelodami 1702.

(*b*) Vide eumd. S.Hieronym. in *Prolog. in Proph. Nahum*.

(*c*) Lib. IV. Regum cap. 4. v. 18. & ſeqq. ad 37.

(*d*) Lib. cit. cap. 13. v. 21.

(*e*) Cap. XLVIII. v. 14.

habetur, & quo David compellatur, ut e ſepulcro prodeat, & cantet in pſalmo; nam ita ad eum ſermo convertitur: *Expergiſcere, David Pſaltes, & veni, egredere hodie de ſepulcro, accipe citharam, & cynaram, & clama, ac dic in pſalmo*. Perſpicuum ſane eſt, heic provocari ad Pſalmum XXI. ſecundum vulgatam editionem, & XXII. ſecundum LXX. viralem, & Syriacam, in quo Rex Propheta Ieſu Chriſti ad Patrem in Cruce orationes expreſſit, & cuius aliquot verſiculos Evangeliſtae (*a*) adduxerunt, tamquam luculentiſſimum vaticinium eorum, quae in paſſione contigerunt, quaeque Chriſtus, antequam ſpiritum emitteret, inſuper protulit: אלי אלי למה שבקתני *Eli Eli lamma ſabbachtani*, quae quidem prima verba eſſe novimus Pſalmi, qui incipit: *Deus meus, Deus meus, quare dereliquiſti me*? ut nimirum reddit Gabrielis Sionitae verſio (*b*). Tum quae in Pſalmo ſequuntur, fere eadem ſunt, quae in Syrorum Cantico adducto verſiculo ſubſequuntur, quaeque ita ſe habent: *Populus commiſeratione deſtitutus confixit abſque miſericordia manus Filii, qui venit ex alto, ut redimeret populum, & populos. Diviſerunt veſtimenta eius inter ſe, & ſuper veſtem eius miſerunt ſortes ſuas &c.* Haec ſane reſpondent iis, quae in laudato Pſalmo leguntur, ſcilicet: *Foderunt manus meas, & pedes meos, & ululaverunt omnia oſſa mea. Ipſi conſideraverunt, & inſpexerunt me, & diviſerunt veſtimenta mea inter ſe, & ſuper veſtem meam proiecerunt ſortes*; quaeque Theodorus genere Syrus, ortu forſan Antiochenus, qui circa an. CCCCXXVIII. obiit Mopſueſtenus Epiſcopus, incaſſum ſtuduit in alium ſenſum detorquere, aſſerens, heic nequaquam de Meſſia ſermonem haberi, quin potius haec de Davide eſſe intelligenda, nec aliam ob cauſſam ab Evangeliſtis adducta fuiſſe, niſi ut conſimili eventui verba a Pſalmo petita aptarent, ut proinde phraſis dumtaxat mutuata ab ipſis fuerit, non vero accita vaticinii aucto-

(*a*) Matth. cap. XXVII., Marc. cap. XV., Luc. cap. XXIII., Ioh. c. XIX.

(*b*) *Liber Pſalmor. Davidis Regis, & Prophetae ex idiomate Syro in Latinum translatus*. Pariſiis 1625.

auctoritas, & comprobatio. Aſt merito a V. oecumenico Concilio CPolitano damnatus eſt Theodorus, nec ab aliis deinceps hoc affirmatum novimus praeter Rabbinos, quibus cum nullum eſſet effugium ab illis, quibus maxime urgebantur, verbis *foderunt manus meas, & pedes meos*, id commenti ſunt, ut in Haebraico textu pro כרו *caru*, *foderunt*, legendum vellent כָּאֲרִי *caari*, *ſicut leo*, quae ſane lectio haud in codicibus habebatur primis Eccleſiae ſaeculis, ac in iis praeſertim, quibus uſi ſunt LXX. Interpretes, qui nimirum verterunt ὤρυξαν *foderunt*: quin potius circa XI. ſaeculum invectam ſolummodo deprehendamus, cum ſcilicet poſt Tiberienſes Maſoram rurſus adornare coeperunt magni nominis Rabbini Ben Aſcher, & Ben Naphtali, hic in Babylonia, ut Iudaeorum volunt Hiſtorici, ille in Palaeſtina (*a*). Eo enim tempore exhibens adulteratam lectionem illam codex aliquis primum inventus eſt, quod & Rabbinus Banchaim, & Maſorethae ipſi teſtantur (*b*). Certe quidem S. Ephraem Syrus locum Iſaiae (*c*) exponens: *Ecce fodiam foveam, dicit Dominus omnipotens, & attrectabo omnem iniquitatem terrae illius in uno die. In illo die, dicit Dominus potentiſſimus, vocabitis unuſquiſque amicum ſuum ſubter ficum, & vitem*, aperte ſatis τὸ *foderunt* Pſalmi XXII. his verbis innuit, & explanat (*d*): *Foſſionis ergo vocabulum myſtice uſurpat pro transfixione, ſeu perforatione lateris Chriſti Davidem exſcribens*: „ Foderunt, *inquit*, manus meas, & pedes meos, *i. e. perforaverunt* „. *Per iſtam itaque ſanctiſſimi lateris ſui aperitionem Chriſtus totius mundi peccata delevit, ſimul omnem patefecit Iſraelis nequitiam* „ in die uno „ *illo nempe, quo in Cruce pependit, eiectiſque primis illis vinitoribus, novos ſubſtituit agricolas: idcirco ficus quoque, & vitis mentionem intulit, quo vineae culturam indicaret.*

Aſt

(*a*) Vid. Iohan. Eberhardi Rav *Diatrib. de Synagoga magna*; Traiecti ad Rhenum 1726. Part. II. ſect. II. cap. III. pag. 148.

(*b*) *Maſor. margin. & Maſor. textual.* num. XXIV.

(*c*) Cap. LX. v. 10.

(*d*) *In Zachariam Proph.* pag. 288. Tom. II. *Oper. Syr. Lat.* Romae 1743.

Aſt praeter Pſalmum XXII. etiam Pſalmum ſecundum Vulgatam XCV., & Syriacam verſionem XCVI., qui incipit: *Canite Domino canticum novum, canite Domino omnis terra*, Syriaci Cantici, quod nunc exhibemus, auctorem reſpexiſſe, quis coniicere poſſet ob verſiculum X., qui in veteri Itala verſione legitur: *Dicite inter gentes, Dominus regnavit a ligno*. Siquidem in editione Operum S. Ephraem Syri, quam Gerardus Voſſius adornavit, haec lectio occurrit in ſermone in pretioſam, & vivificam Crucem Domini his verbis (*a*): *Dominus regnavit a ligno: creatura laetatur: Crux dominatur: quam omnes adorant gentes, & populi, tribus, & linguae*. Ad hunc locum adluſiſſe videtur vir cl. Ioſephus Blanchinius Romani Oratorii Presbyter in elaboratiſſima, quam edidit, Pſalterii cum canticis collatione *iuxta vulgatam antiquam Latinam, & Italam verſionem*, quamque adnectendam curavit Prolegomenis cl. Patrui ſui, & Praeſulis eruditiſſimi Franciſci Blanchinii ad Anaſtaſium (*b*), ubi cum contenderet, etiam in LXX. virali verſione, & in veteribus Graecorum exemplaribus ad laudatum Pſalmum olim exſtitiſſe voces ἀπὸ τοῦ ξύλου, *a ligno*, ita ſcribit: „ Dominus „ regnavit a ligno „: *ut olim habebatur in* LXX. *virali verſione, & nunc etiam legitur in Graec. Veron. adverſae frontis, in quo extra omnem controverſiam exhibetur pura puta* LXX. *translatio non hexaplaris. Porro hanc Veronen. codicis verſionem* ἀπὸ τοῦ ξύλου *in Graecis exemplaribus quondam obtinuiſſe evincitur ex Syriaca ver-*

(*a*) Tom. III. *Oper.* pag. 201. Romae 1598.

(*b*) Tom. IV. pag. CLXI. Romae 1735. Non inutile erit heic advertere alucinationem, in quam lapſus eſt Blanchinius iunior ad pag. LXXXV., ubi haec habet: *Loca ex Pſalmis variantia in Pſalteriis, ad calcem cuiuſque Pſalmi in adnotationibus prolata, fateor ingenue ex aliqua parte a me deprompta fuiſſe ex laudata S. Auguſtini operum editione, ſtudio Monachorum Ordinis S. Benedicti e Congregatione S. Mauri confecta. Lector tamen ex collatione dignoſcet, quae, & quot fuerint de novo addita, tum ex Thomaſii, & Baſilicae Vaticanae Pſalteriis, atque ex eiuſdem S. Auguſtini enarrationibus &c.* In eo enim eſt alucinatio, quod diverſa cenſuerit Thomaſii, & Baſilicae Vaticanae Pſalteria, cum utrumque unum, & idem ſit.

verſione, *quam S. Ephraem Syrus ad manus habuit*. Locum tamen haud deſignat Blanchinius, ubi hoc apud S. Ephraem Syrum invenire liceat, nec nos alium offendimus praeter eum, quem ſupra ex Voſſiana editione citavimus. Compertum quidem nobis eſt, Syriacam verſionem, quae *ſimplex* (*a*) dicitur,

(*a*) Duae ſunt verſiones Syriacae, ut tradunt ſacri philologi, doctiſſimum Arabum ſcriptorem Gregorium Abulfaragium ſecuti, qui in Dynaſtiarum hiſtoria affirmavit, unam eſſe ex Hebraico textu, alteram vero ad LXX. viralis formam a lingua Graeca transſlatam. Antiquior *vetus*, & *ſimplex* appellatur a Syris, vel etiam *vulgaris*, aut *communis*, altera vero recentior *Alexandrina* ab aliquibus dicitur, & *figurata* quoque ab Eduardo Pocockio, & poſt eum a Waltonio, aliiſque criticis communiter ſalutatur; quandoquidem ex male intellecta Abulfaragii voce الصور *al-ſwar* plurali numero exarata hoc nomen Pocockius induxerit, quae non *Tyrium* exprimat, ut Renaudotius putavit, ſed per quam *formae* LXX. viralis, vel ad eius normam, & ſpeciem conficta huiuſmodi verſio intelligenda potius ſit, ut nuperrime oſtendit vir cl. Ioh. Bernardus de Roſſi in Parmenſi Academia Linguarum Oriental. Profeſſor in loco, quem inferius citabimus. De utraque hac Syriaca verſione haec nimirum ſcripto conſignavit Gregorius Bar-Hebraeus, qui & Abulfaragius, quem mox laudavimus in *hiſtor. compendioſa Dynaſtiar.* arabice edita, & latine verſa a Pocockio, & Oxonii impreſſa anno CIƆIƆCLXIII., poſtquam (*Dynaſt.* VI. pag. 64.) hiſtoriam verſionis Graecae retulit: *Ea eſt*, inquit, *verſio LXX.*, *quam amplectuntur docti noſtri*; *eſtque eadem*, *quae in manibus Romanorum eſt*, *ceterarumque Chriſtianarum ſectarum*, *exceptis Syris*, *ac praeſertim Orientalibus*. *Siquidem eorum exemplar*, *quod* SIMPLEX *vocant*, *quod in eius verſione elegantiae ratio habita non ſit*, *conſentit cum exemplari Iudaeorum*. *Occidentales autem duas habent verſiones*: SIMPLICES, *quae de Hebaico in Syriacum tranſlata eſt poſt adventum Domini Chriſti tempore Addaei* (alias Thaddaei) *Apoſtoli*, *vel*, *ut alii dicunt*, *tempore Salomonis filii Davidis*, *& Hirami*, *&* FIGVRATAM *ſecundum LXX. e Graeco in Syriacum traductam*, *longo poſt incarnationem Salvatoris intervallo*. In hoc textu notandum eſt pro Syris Orientalibus intelligi illos, qui inter Euphratem, & Tigrim exſiſtunt, cum contra Occidentales nuncupentur illi, qui trans Euphratem verſus Occidentem habitant. Quidquid vero ſit de nonnullorum Syrorum opinione circa epocham *ſimplicis* verſionis ex Hebraeo depromptae temporibus Salomonis, & Hirami Regum, illud apud eruditos conſtat, verſionem hanc vetuſtiſſimam eſſe, & ad Apoſtolorum tempora propius accedere. Sed hac de

veteſtiſſimam eſſe, & ad Apoſtolorum tempora propius accedere; at vereor, ut firmo nitatur fundamento Blanchinii argu-

de re conſulatur opus cl. meique amantiſſimi Gabrielis Fabricii Theologi Caſanatenſis, cui titulus: *Des titres primitifs de la révélation, ou conſidérations critiques ſur la pureté & l' intégrité du texte original des livres ſaints de l' ancien teſtament*, a Rome 1772. Tom. I. pag. 255., & ſeqq., in quo rem docte pertractat, evincitque tum *ſimplicis* verſionis antiquitatem, tum Hebraicum fontem, unde iſta prodivit. Idem argumentum erudite quoque excuſſit Iohannes Auguſtus Dathe Profeſſor linguae Hebraicae in Lipſienſi Academia, cuius haud meminit Fabricius noſter, in praefatione ad Pſalterii Syriaci cum Latina verſione Thomae Erpenii editionem alteram Halae peractam anno cıɔıɔcclxviiI. ſumptibus Orphanotrophei (prima enim excuſa fuerat Lugduni Batavorum anno cıɔıɔcxxv.) ubi momenta omnia oppugnat, quae Simlerus in libro germanice loquente, & inſcripto: *Praeparatio ad Theologiam hermeneuticam*, adverſus antiquitatem *ſimplicis* Syriacae verſionis attulerat. Ceterum Michael Le-Iay primus fuit, qui in Bibliis polyglottis Lutetiae Pariſiorum editis anno cıɔıɔcxlv. hanc verſionem inſeruit, quam dein anno cıɔıɔclviI. emendatiorem, & auctiorem exhibuit Brianus Waltonius in Anglicis polyglottis, qui nimirum attulit libros Eſther, Iudith, Tobiae, epiſtolas Ieremiae, & Baruchi, tum fragmenta libri Danielis, & libros iI. & iiI. Machabaeorum, quos laudatus Le-Iay omiſerat. Anecdota adhuc eſt altera verſio Syriaco-Eſtranghela ex Graeco, cuius eximiam ſane partem obtinebat Andreas Maſius, ut ipſe teſtatur in praefatione ad *Comment. Bar-Cephae de Paradiſo*, & in epiſtola nuncupatoria *Comment. in lib. Ioſue* apud Iacobum Le-Longium *Biblioth. ſacr.* Tom. I. cap. 2. ſect. 3. pag. 96. Pariſiis cıɔıɔccxxiiI. Ipſo enim teſte, codex, quem ipſe poſſidebat, quique poſt eius mortem ita evanuit, ut ubi lateat, adhuc ignoretur, continebat aliquot ſacrae Scripturae libros, nempe Deuteronomium, Ioſue, Iudices, Reges, Chronica, Eſdram, Eſther, Tobiam, atque hos quidem, ut ex adſcripto lemmate ad calcem innoteſcit, ſcriptos Alexandriae anno ab Alexandro M. ɪɔccccxxviI., Chriſti vero ɪɔcxv., tum in linguam Syriacam converſos ex Graeco exemplari, quod manu Euſebii ad Origenis libros, qui in Caeſarienſis Eccleſiae Bibliotheca adſervabantur, fuerat emendatum, eique ad hoc opus auxilium ferente Pamphilo ſuo. Huius codicis veluti pars altera fuiſſe videtur codex Bibliothecae Ambroſianae Mediolani, quem nuperrime inluſtravit laudatus cl. vir Ioh. Bernardus de Roſſi edito *Specimine ineditae, & hexaplaris Bibliorum verſionis Syro-Eſtranghelae cum ſimplici, atque utriuſque fontibus Grae-*

gumentum, quandoquidem in poſteriori Romana Operum S.Ephraem Graeco-Latina editione haud in textu (Tom. II. pagin. 248. Romae 1743.) videre licuit voces illas ἀπὸ τοῦ ξύλου, *a ligno*; quin potius in doctis Cl. Praeſulis Ioſephi Simonii Aſſemanii prolegomenis ad hanc editionem pag. XXVII. in dubium revocari videmus textus ingenuitatem quoad laudata verba, quod ea in X. collatis codicibus graece

 exa-

Graeco, & Hebraeo collatae cum duplici Lat. verſ., ac notis, cui praemiſſa eſt *Diatriba de rariſſimo Codice Ambroſiano, unde illud hauſtum eſt*; Parmae CIↃIↃCCLXXVIII. Continet namque Ambroſianus codex reliquos ordine libros, Pſalmos nempe, Iobum, Proverbia, Eccleſiaſtem, Canticum, Sapientiam, Eccleſiaſticum, Oſeam, Amoſum, Habacucum, Sophoniam, Haggaeum, Zachariam, Malachiam, Ieremiam, Danielem, Ezechielem, & poſtremo Iſaiam. Neque tamen uterque codex univerſos ſacrae Scripturae libros complectitur, ut facile affirmarunt Mabillonius in Diario Italico, & Le-Longius in Bibliotheca ſacra ad alterum dumtaxat provocantes: quod cuilibet conferenti patebit. Praetereo nunc Syriacam verſionem Pentateuchi ſaeculi VIII., quam memorat Advocatius, & poſt eum cl. Fabricius lib. citato pag. 362., & alteram Evangeliorum Bibliothecae Angelicae ſaeculi VII., cuius ſpecimen aliquod acceptum referimus viro alteri ſane doctiſſimo Auguſtino Antonio Georgio Eremitarum Auguſtinenſium Procuratori generali, qui ad eam provocat inluſtrans Saracenicum Theodoſii Diaconi *de excidio Cretae* diſtichon eruditiſſima epiſtola, quam legere eſt ad calcem *novae appendicis corporis hiſtoriae Byzantinae* a cl. Petro Franciſco Fogginio editae Romae anno CIↃIↃCCLXXVII. pag. 541., & ſeqq. Sed ad rem noſtram redeamus. Communiter ergo Syriaca verſio Bibliorum ſacrorum ex Graeco ad ſaeculum V. refertur, licet Bar-Hebraeus, ut vidimus, *longo poſt incarnationem Salvatoris intervallo* concinnatam velit. Verum quaecumque ex his ſtatuatur epocha, illud certum eſt, verſionem hanc poſt tempora S. Ephraem Syri, quem obiiſſe conſtat circa annum CCCLXXVIII., fuiſse elaboratam; proindeque ſi aliquis codex reperiretur huius verſionis, qui pſalmum XCVI. exhiberet cum lectione *a ligno*, quae profecto non habetur in *ſimplici* verſione ex Hebraeo, haud potis eſſet ad Blanchinii opinionem confirmandam aſſerentis lectionem hanc in Hebraico textu primitus exſtitiſſe, cum verſio haec non ex Hebraeo, ſed ex Graeco manaverit, nullumque dubium ſit, quin in aliquibus Graecis exemplaribus exſtiterit, ex quibus poſtea in antiquam Italam ex eis procuſam deſcenderit.

exaratis nequaquam occurrerint. Cum tamen ſcribat Voſſius, ſe etiam ad plures Graecos codices acceſſiſſe, ut collationem Operum S. Ephraem inſtitueret, id fieri potuiſſe exiſtimamus, ut in eorum aliquo ad marginem verba illa appicta fuerint, quae hinc poſtea in textum irrepſerint ex amanuenſium imperitia, quod & in aliis operibus ex antiquioribus exemplaribus exſcriptis per eos factum animadvertimus. Quapropter cum verba illa, de quibus ſermo eſt, abſint a pleriſque codicibus, qui nunc habentur, a ratione quidem abſonum foret inniti alicuius codicis ſingularitati pro Blanchinii ſententia adſtruenda, ut nimirum etiam in Hebraico textu, ex quo LXX. viralis verſio, tum & Syriaca *ſimplex* profectae ſunt, olim vox מֵעֵץ *mehez*, *a ligno* haberetur, atque integre legeretur textus ipſe: *Dominus regnavit a ligno*. Ita enim ipſe habet: *Quare in Hebraico quoque textu primum exſtitiſſe nullus dubito: ſed exorta vix Chriſti Eccleſia Iudaei in Crucis odium ea verba ſuſtulerunt, abraſeruntque*. Hoc etiam ſenſit Sanctus Iuſtinus Martyr in *Dialogo cum Triphone Iudaeo* ab eo Epheſi habito ſub Antonino Aug. (*a*), in quo ſtilum in Iudaeos acuit, quod laudata verba abraſerint, quamquam id inveriſimile fiat, quum potius Hebraeos veteres religioſiores noverimus in ſacri Codicis integritate tuenda, nec etiam facile fieri potuiſſe videatur, ut Iudaei hunc in omnibus, qui tunc exſtabant, Hebraicis codicibus locum corrumpere, ſeu tollere auſi fuerint. Certum inſuper eſt, tum antiquas omnes Orientales verſiones, tum ipſum Hebraicum textum additamento hoc *a ligno* carere, ac latuiſſe ipſum Sanctum Hieronymum, qui Origenis Hexapla attrectavit. Ceterum vero huiuſmodi additamentum habetur in Pſalterio antiquae verſionis Latino-Italae, quae quidem Sancti Hieronymi aetatem ſuperat (*b*), quaeque in Latina, & Ro-

(*a*) Pag. 179. *Oper.* edit. Venet. 1747.

(*b*) Cl. Vincentius Faſſinius in libro, cui titulum fecit: *Divinae libri Apocalypſeos auctoritatis vindiciae ex monumentis Graecis adverſus nuperas exceptiones Firmini Abauzitii Genevenſis*, Lucae 1778. p. 32. nimis

& Romana praeſertim, eiuſque propagine Africana Eccleſia olim obtinuit, nec ſane ullum eſſe poteſt dubium, quin eadem a Graeco textu profluxerit. Quare hinc factum eſt, ut Tertullianus, S. Ambroſius, S. Auguſtinus, S. Leo Magnus, Caſſiodorus, Auctor opuſculi *de montibus Sina*, *& Sion*, quod S.Cypriano a nonnullis tribuitur, & Hymnus paſſionis: *Vexilla Regis prodeunt*, quorum ſinguli a Blanchinio citantur, vocem *a ligno* exhibeant, quibus nos modo adiungimus Lactantium, quem adducit Cl. Xaverius Matthaeius (*a*), tum & Conſultationes Zachaei Chriſtiani, & Apollonii Philoſophi, Dialogum nempe ſaeculo v. ineunte conſcriptum, & a Luca Dacherio editum (*b*), ubi ad exponenda de Chriſti paſſione Prophetarum vaticinia locus *a ligno* veteris Italae verſionis affertur (*c*): *Eſt plane* [inquit Zachaeus] *omnium ſcripturarum non ſolum de paſſione, verum etiam de reſurrectione, caelique conſcenſu aperta praedicatio, atque in nobis Dei regnum a Chriſti paſſione coepturum praeſcia Prophetarum ora cecinerunt. David prae ceteris ſic loquente* „ Dicite in gentibus Deus regnavit a ligno „. Ex quibus omnibus eruitur verba *a ligno* monumentis Eccleſiae Latinae celeberrima, paucis Graecorum ſuffragiis communiri (*d*). Atque haec ſunt, quae nobis ſuadent, laudatum Syria-

nimis fidenter aſſeruit voces *a ligno* in vetere Latina verſione antehieronymiana haud reperiri: *Nam*, inquit, *hae voces* „ a ligno „ *non modo in Hebraicis Bibliis numquam fuerunt; ſed & in Chaldaicis, & in Syriacis, & in Graecis, quae ad nos pervenerunt, & in Arabicis, & Aethiopicis ex Graeca interpretatione traductis, & in vetere Latina verſione antehieronymiana, & in Hexaplis Origenis deſiderantur*. Ceterum doct. Faſſinius haud animum quoque advertit perveniſſe ad nos inter alias Graecam verſionem codicis Veronenſis, quae, Blanchinio teſte, habet voces ἀπὸ τοῦ ξύλου, *a ligno*.

(*a*) Tom. IV. *De' Libri poetici della Bibbia tradotti dall' Ebraico originale &c.* pag. 112. Napoli 1771.

(*b*) Tom. x. *Spicilegii* pag. 60. Pariſiis 1671.

(*c*) Lib. II. cap. 6.

(*d*) Quomodo Graeca quaedam exemplaria additamentum *a ligno* occupaverit, ſic explicat eruditiſſimus Faſſinius in citatis *Vindiciis* pag. 33: *Cum in epiſtola tributa Barnabae ſermonem eſſe* „ de regno Ieſu

Syriaci Cantici, ſive Ordinis adorationis Crucis, quem modo inluſtramus, verſiculum non ad Pſalmum XCVI. eſſe referendum, qui eo ſpectat, ut glorioſum adventum celebret, qualis revera fuit adventus arcae Domini a domo Obededom in tabernaculum Sion, ob quam cauſſam Davidis Pſalmus ex Paralipomenon auctoris fide (*a*) a Iudaeis tunc modulatus eſt; ſed ſolummodo ad Pſalmum XXII. reſpicere, qui in eo totus eſt, ut Crucem, & opprobria referat.

(19) (20)

Has ſtrophas non habet codex Urbanus, verum Cl. Ioſephus Aloy-

ſu a ligno „ *vidiſſet pius quidam pſalmorum lector, incidens poſtea in illa verba Pſalmi xcv.* „ Dominus regnavit „ *memor eorum, quae legerat in Barnaba, in marginem retulit particulam* „ a ligno „ *velut loci illius explanationem: nam conſueviſſe veteres Chriſtianos in librorum margine ſcribere quaſi adnotationes quaſdam, & Scripturarum explicationes vetera monumenta comprobant. Porro cum ea adnotatiuncula margini adſcripta vehementer librario placeret, putans variantem lectionem eſſe, textui adſcripſit: ea vero deinceps a piis viris ſuſcepta, atque inſcripta fidem, auctoritatemque habuit, maiorem ſane habitura, niſi Hexapla Origenis obſtitiſſent. Mox enim ut cognitum eſt ex Origenis Hexaplis neque in Hebraicis libris, neque in editione LXX. interpretum eam additionem legi, improbata eſt a Graecis Patribus, atque a Bibliis exploſa. Hinc factum eſt, ut quum Patres plurimi poſt Origenis aetatem de Pſalmo illo meminerint, nemo cum Iuſtino regnantem a ligno Dominum dixerit. Quia vero Origenis opera, quae falſae lectionis admonebant, non erant admodum apud Latinos vulgata, Latini Patres diutius retinuerunt, quod Iuſtinus legerat, adeout & in hymnos eccleſiaſticos coniiceretur.* Coniecturam libenter amplector; nam cum ex Graeca Barnabae epiſtola conſtet ipſam datam fuiſſe poſt excidium Hieroſolymitanum, quod eadem memorat cap. XVII. apud Cotelerium Tom. I. *Patr. Apoſtol.* pag. 48., cumque ex Clemente Alexandrino, qui epiſtolam hanc citat, manifeſtum ſit ante finem ſecundi ſaeculi iam in vulgum prodiiſſe, ſive illa tribuatur Barnabae Apoſtolo, ſive alteri homini Apoſtolico, qui aut Barnabae nomen aſſumpſerit, aut Barnabae fuerit cognominis, prout a primis Chriſtianis nomina Apoſtolorum affectata fuiſſe docet nos Dionyſius Alexandr. apud Euſebium H. E. lib. VII. cap. 25., omnia adamuſſim eo recidunt, ut adſtruant voces *a ligno* in Graecam verſionem, *communem* appellatam, invectas fuiſſe ante tempora Hieronymi; tum ex hac ante eadem tempora in Latinam verſionem tranſiiſſe.

(*a*) Lib. I. c. 16. v. 7. 23., & ſeqq.

Aloyſius Aſſemanius eas ſupplevit ex codice Aldoenſi. Ceterum nonnullae ſtrophae, quae in noſtro Ordine exhibent flebiles Mariae cantus ad Calvariam, deſumptae videntur a *lamentatione ſanctiſſimae Dei Genitricis prope Crucem ſtantis*, quae S.Ephraem Syro tribuitur ab Aloyſio Lipomano Epiſcopo Bergomenſi (*a*), Laurentio Surio Carthuſiano (*b*), & Voſſio (*c*). Vide in hanc rem, quae Ioſephus Simonius Aſſemanius ad opera Sancti Ephraem adnotavit (*d*). Gregorius Bar-Hebraeus (*e*) de Iacobo Serugenſi haec narrat: *Poſtremo aiunt eiuſdem Sermonem exſtitiſſe, quem de Maria, & Golgotha imperfectum reliquit*. Si hic Sermo ad manus noſtras veniſſet, iudicare hinc datum eſſet, an ex eo in noſtrum Ordinem aliqui ex relatis Mariae cantibus deſcenderint.

(*a*) Tom. VIII. *Vitar. SS.* pag. 14. Romae 1560. Liceat mihi pauca referre ex Lipomani monito ad lectorem pag. IX., quod huic Tomo praemittitur: *Cum*, ait, *ex laborioſa illa, non minus periculoſa Poloniae legatione, divina prorſus ope, & non alia, incolumis in Italiam reverterer, & hexaphoro vectus, ne itineris taedio torperem, divi Ephraem Edeſſenae Eccleſiae Diaconi elegantiſſimos ſermones legerem, quaedam ex ipſis decerpſi, quae ad illuſtrandum octavum hoc noſtrum ſanctorum vitarum volumen admodum accommodata mihi viſa ſunt*. Ceterum editio huius Tomi VIII. abſoluta fuit poſt obitum auctoris, qui anno 1559. viam univerſae carnis ingreſſus eſt.

(*b*) Tom. VI. *de probatis SS. Hiſtoriis*, die XXV. martii pag. 105. Coloniae Agrippinae 1586. opera, & ſtudio F. Iacobi Moſandri Carthuſiani, qui monumenta a Surio collecta in lucem edidit. Obiit Surius anno 1576.

(*c*) Tom. III. *Oper. S. Ephraem* p. 198.

(*d*) In Praefat. ad Tom. II. *Oper. Gr. Lat.* pag. LVI.

(*e*) Ap. Aſſeman. Tom. II. *Bibl. Orient.* pag. 322.

INDEX

INDEX
RERUM MEMORABILIUM
Quae in hoc Volumine continentur.

A

